Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28772210_0003

FRANCISCI HERNANDI,

MEDICI ATQUE HISTORICI

PHILIPPI II. HISP. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS ARCHIATRI,

OPERA,

CUM EDITA, TUM INEDITA,

AD AUTOGRAPHI FIDEM ET INTEGRITATEM EXPRESSA,

IMPENSA ET JUSSU REGIO.

VOLUMEN TERTIUM.

MATRITI.

EX TYPOGRAPHIA IBARRAE HEREDUM.

ANNO M.DCC.LXXXX.

WELLC[illegible]

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER TREDECIMUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De NEXTLACOTL, *seu virga cinerea.*

Herba est duos dodrantes longa, radice firmata tenui, fibrataque, et caudae Scorpionis simili cùm crassitudine, tum etiam forma, ex qua profert caules tenues, viridesque, folia cordis paene figura, longè minora, ac circinata, flores exiles, et semen Thlaspis modo contusum. Jus decocti radicum, quae amarae sunt, et calentis ordine ferè tertio, siccaeque temperiei, dolorem pectoris dicitur sedare.

CAPUT II.

De NEXTLAÇOTL *Yacapichtlensi.*

Herba est radicibus insistens surculosis, unde proferuntur caules in hominis assurgentes altitudinem, et in eis folia Limonis, sed majora, asperaque, flores pallentes, contenti in calyculis scariosis. Calida est, siccaque, et gustu odorata. Jus decocti ejus, aut radices, foliave duarum drachmarum devorata pondere urinam evocant, et enixis magnopere a partu conferunt. Nascitur in calidis, et frigidis regionibus, locis humidis, ac montium faucibus.

CAPUT III.

De PACXANTZIN, *seu Planta subsidente.*

Pacxantzin, quam alii *Tenextlacotl*, seu *virgam calcis* vocant, Herba est fruticosa, caules proferens longos duos cubitos, teretes, lignosos, striatos, et cinereos, inclinantes in purpureum, unde nomen, folia rara, Salviae similia, aspera, sed infernè subalbescentia, supernè verò viridia, radices fibrarum instar, flores luteos, magnos, prodeuntes e calyculis scariosis. Calida, et sicca natura constat ordine secundo, et odore gravi, saporeque. Jus decocti radicum medetur satietati, debilem ventriculum roborat, pectusque calefacit; exhibetur quoque ab aliqua gravi aegri-

tudine resurgentibus, ac ducendis in balineum: folia tusa, permistaque *Chichiantic*, et *Tlatlaolton* aequis portionibus, ac contuso loco admota, quidquid humoris ad eum defluxit, siccant, atque discutiunt. Verùm tunc temporis consuevere Indi Medici infundere naribus pulverem *Tlacoxiloxochitl*. Temperato caelo gaudet, quale est *Tepoztlanicum*, ac mense floret Septembri. Sunt, qui *Tlacocacalácam* vocent.

CAPUT IV.

De NEXXIHUITL, *seu Herba cinerea.*

Radicem fundit haec Herba firmam, et candentem, folia lata, octo uncias longa, serrataque in caulibus quaternum dodrantum longitudinis, luteosque flores. Dulcis est, frigidaque, aut temperata natura. Folia tusa, atque resoluta ex aqua dicuntur valere adversùs febres, et dolores. Nascitur in calidis *Tohualani*, seu campestribus, seu montosis.

CAPUT V.

De NEXTAMALXOCHITL *Cuitlahuacensi, seu cinerei Tamalis flore.*

Arbor est mediocris, foliis oblongis, angustis, flore luteo, prolixo, ac racematim dependente, et siliquis octo uncias longis. Folia tusa carnem excrescentem absumunt, et congruentem generant. Calidae sunt temperiei, et in col-

libus regionum calidarum emicare solent.

CAPUT VI.

De NEXTAMALXOCHITL *Arbore.*

Hominis altitudinem aequat haec Arbuscula, ac crassitudinem statim cùm a radice prodit, cruris, extra squallida, ac intus virescens, stipitem unicum fert, ex quo nulli rami propagantur, sed folia e medio caule ad cacumen, quod in cuspidem finit, per intervalla pediculis appensa, longaque duas, tresve spithamas: funduntur ab eodem stipite flores pallescentes ex albo, et adhaerescentes nodis, unde etiam oriuntur foliorum pediculi, quae sinuosa sunt, et cucurbitarum Indicarum foliis quadantenus essent similia, nisi longè ampliora viderentur. Saporis expers est, ac naturae frigefacientis; quo fit, ut febribus illita adversetur, et calida distemperie quomodolibet affectis admota ferat opem. Nascitur regionibus calidis, campestribus, et irriguis locis.

CAPUT VII.

De NEXTAMALXOCHITL *Oapanensi.*

Arbor est ramos fundens saniosos, oblonga folia, et serrata, atque in mucronem desinentia, saporis principio expertia, ac demum nescio quam dulcedinem indicantia, florem luteum, et magnum, fructum in siliquis octo uncias

longis, angustis, atque etiam saniosis, semen tunicatum, et orbiculare includentibus. Frigida natura, aut ad temperiem spectante constare videtur, ac exanthematis, quae morbillos vocant, dicitur esse utilis, aut quòd fervorem devorata exstinguat, aut quòd consuetum sit huic genti quidquid ad cutem natura pellitur, frigidis medicamentis illitis repellere, haud sine pudenda imperitia, et noxa minimè contemnenda. Nascitur *Oapani*, quemadmodum indicat cognomen.

CAPUT VIII.

De NEXTAMALXOCHITL *quarta.*

Arbuscula est folia sinuosa ferens, magna, quinis cuspidibus insignia, ac procedente aetate rubescentia, flores racematim dependentes, caeruleosque, initio obrotundos, atque cùm hiant, sexangulos, capillamentis luteis e medio prodeuntibus. Floris usum praestat.

CAPUT IX.

De NEXTAMALQUAHUITL, *seu Nextamal Arbore.*

Arbor est magna foliis Mali Medicae, sed tenuioribus, et mollioribus. Aqua, ubi folia tusa maduerint, colata, epotaque calorem nimium exstinguit. Provenit *Hoeiacocotlae.*

CAPUT X.

De NENEXTON, *seu Arbore cinerea, et parva.*

Non est silentio praetereunda Nenexton, etsi nullius (quod adhuc compererim) in Medicina sit usus, vel ob hoc, quòd Arboris paradiseae ab Hispanis vocatae, quam nonnulli Barbam Jovis a Plinio descriptam esse contendunt, sit persimilis, quamquam folia latiora sint, et infernè argenteo magis micent colore.

CAPUT XI.

De NENEXECTON, *seu Planta fusca.*

Foliis, ac radice constat Raphano similibus, sapore acri, calidaque, et sicca ordine secundo natura. Tusa, illitaque curat scabiem. Nascitur in campestribus *Hoaxtepecensibus.* Est et alia Planta eodem nomine, foliis Verbasci, odore foetido, et calida natura; quaeque applicata maturare consuescat praeter naturam tumores. Sed haec non tanti apud me fuit, ut duxerim icone exprimendam.

CAPUT XII.

De NENEXTIC, *seu Herba cinerea.*

Radicem fundit Nenextic crassam, contortam, fibratamque, et longam (cujus cortex incisus cyaneum statim

contrahit colorem) et ex ea caules prolixos, fragiles, subalbidos, medulla lenta refertos, teretes, et striatos, folia verò Hederae, subalbida, magna, et obrotunda, flores pallentes, et modicos. Radix initio dulcis apparet, sed demum guttur urit. Calida est ordine secundo, aut ampliùs, cum quadam humiditate. Semen retentum pellit. Nascitur *Ocopetlayucae.*

CAPUT XIII.

De NENEXTIC *Quauhquechullae.*

Herbula est caules promens exiles e radicibus tenuibus, et longis, in luteumque colorem vergentibus, et in eis parva quoque, et tenuia folia, flosculosque luteos. Nonnihil est amara cum quadam dulcedine, et calentis paulisper temperiei; qua rigoribus intermittentium febrium mederi solet: quin etiam admotam ajunt tumores praeter naturam maturare, rumpere, extergere, et magnopere auxiliari pectori. Provenit calidis regionibus.

CAPUT XIV.

De TENEXTTZMITL, *seu Portulaca calcis.*

Radicem fundit surculosam, et capillatam, folia Bliti, pinguia, flores ex albo purpurascentes, et caulem partim viridem, ac partim purpureum. Frigida natura constat, et adversùs febres est utilis.

CAPUT XV.

De TENEXQUAHUITL *Ytzocanenſi.*

Arbor eſt foliis craſſis ornata hemicyclorum forma, ac fulvis floribus, Phaſeoli ſimilibus. Neque aliud de ea Arbore accepi, quàm ex ejus ſudibus, ſtipitibuſve firmos, ac perquamoptimos arcus parari.

CAPUT XVI.

De TENEXQUAHUITL *Tlaltizapanenſi.*

Arbor eſt parva, cortice virenti veſtita, ſed candidis diſtincta lentiginibus, foliis oblongis, principio anguſtis, et circa finem orbicularibus, aut obtuſis, flore candido, appendenti quibuſdam capitulis, illis Corrudae, Anemoneſve ſimilibus. Frigida natura conſtat. Cortex verò ejus in laevorem redactus, inſperſuſque medetur recentibus, et vetuſtis plagis. Naſcitur in collibus calidarum regionum.

CAPUT XVII.

De NANAUHQUILTIC, *ſeu quaterno Olere.*

Radici innititur Batatae ſimili, ex qua fundit caules virides, tenues, duas ſpithamas longos, folia Ocymi, terna, flores candidos, ac *Yauhtlinum* ſemen. Radix frigefacit, et adſtringit, ac tumores inteſtinorum pellit. Provenit *Hoitzoci.*

CAPUT XVIII.

De NAHUIÏNACÁZ, *seu quatuor angulis.*

Radici insistit crassae, et fibratae, ex qua caules profert fuscos, et quatuor spithamas longos, et in eis folia Olivae, sed firmiora, flores ex albo purpurascentes, longiusculos, et demum semen candidum. Radix, quae impensè adstringens est, et nonnihil calida, medetur ulceribus, et fluxum comprimit. Provenit *Mayanalani* juxta flumina.

CAPUT XIX.

De NAHUITEPUTZ, *seu quatuor dorsis.*

Herba est ab una radice, crassa, fibrataque multos edens caules, tres circiter cubitos longos, ac minimo digito paulò crassiores, fulvosque, et foliaceis quibusdam appendicibus secundùm eorum longitudinem e partibus quaternis discurrentibus pennatos, unde evenit illi nomen, et in eis folia aspera, spiculorum mucronibus, ni longè majora essent, similia, flores luteos, stellatos, et Chrysanthemo majores. Radicum fibrae calidae, et siccae sunt ordine tertio, odoratae, acres, amarae, resinosae, ac partium tenuium. Hae semidrachmae pondere contritae, atque ex vino, vel liquore aliquo devoratae satietati, vacuatis per inferna esculentis vitiatis, medentur, et pustulis a morbo gallico ortis inspersae,

si priùs jus decocti *Ahuacotl*, et *Xalxocotl* laventur, subveniunt, reserantque, et extergunt furunculos. Quin eamdem radicem unciae unius mensura devoratam alvum lenire ajunt, ac ciere urinam. Sunt, quibus placeat majori pondere devorandam, necnon qui asserant evocare sudorem, perfrigeratis mederi, et vacuata causa puncta, febres etiam ipsas, et capitis dolorem tollere, et oculorum inflammationes discutere, imbecillem ventriculum ob causam frigidam calefacere, firmareque, reserare viscerum obstructiones, menses lentè fluentes trahere, cachexi subvenire, et frigidae cujusvis visceris intemperiei ferre opem. Provenit regionibus temperatis, qualis est Mexicana, non tamen odit calidiores, editave, aut campestria loca; quin jus decocti enixis infunditur, foliaque admota tumores praeter naturam aut concoquunt, aut dissipant. Species hujus videtur Herba illa similis praecedenti, flore magno e luteo purpurascente, sed nullo ferè sapore, aut odore constans, quae frigidam praefert, ac humentem naturam, febrientibus confert, et oculis medetur inflammatis; quamobrem *Yxpatli* a quibusdam nuncupatur, etsi *Chiauhtlae*, ubi nascitur, nonnunquam *Pitzahoaccacaxpatli*, frequentiùs verò *Cacaxtlacotl* vocetur. Quin et aliam *Nahuiteputz* vidi differentiam apud *Ytzocanenses* radicibus Hellebori acribus, calidisque, et siccis ordine tertio, ac fluxibus dysentericis coërcendis perutilibus, quam, quòd fo-

liis careret, quando eam conspeximus, non curavi depingendam. Est et alia frigidae temperiei, ac calori jecoris nimio placando mirabilis.

CAPUT XX.

De NAHUITTILMA, *seu quatuor vestibus.*

Radices profert strobilis similes, sed aliquantò crassiores, candentesque, ex quibus prodit caulis tenuis, et spithamam longus, flores in parte ejus suprema candentes, et in ambitu coccinei, capillatique, calyculis contenti virentibus, oblongis, et angustis. Valde frigida constat natura; quo fit, ut radices ejus trium scrupulorum pondere devoratae egregium praestent adversùs febres remedium. Ad species Sedi videtur pertinere.

CAPUT XXI.

De NANAHUAPATLI, *seu morbi gallici medicina.*

Radicem fundit longam, tenuem, et fibratam Nanahuapatli, quam alii *Palancapatli*, quoniam ulceribus medetur, vocare solent, folia squallentia, prolixaque, et illis Pilosellae vulgaris similia, florem Chamaemeli in caulis cacumine, ac semen acre. Calida est, ac sicca ordine secundo, et amari saporis, ac gustu odora. Redacta in farinam, et inspersa ulceribus putridis medetur, unde est, ut dixi-

mus, *Palancapatli* ab aliquibus vocata, melancholiam paſsos curat, ictoſque ab Hemorrhoo *Panucenſi*, quem vocant *Mahuaquitli*: quin etiam tusa, ex aqua reſoluta, ac pugilli unius menſura devorata e liquore quopiam congruenti, quoties expediat, luem vocatam Gallicam, aut Hiſpanicam funditus extirpat, et curat exſiccatis quoque universi corporis ulcusculis, atque tuberculis; qua ex re luce meridiana clarius evadit, quod multos adhuc anxiè distorſit, morbum scilicet hunc ab Indis hisce occidentalibus fuisse profectum, atque in alias propagatum Veteris Orbis plagas; quoniam apud eam gentem patrium, germanumque hic morbus, atque antiquum sortitus est nomen. Nascitur temperatis locis, qualia sunt *Tepoztlanica.*

CAPUT XXII.

De NANAHUAPATLI *Tepecuacuilcenſi.*

Radice firmatur surculo simili, fibrataque, unde caules profert prolixos, et in eis Ocymi folia, sed circinata, et quaterna, flores luteos, parvos, siliquas complanatas, et modicas. Frigida, et glutinosa constat natura non sine quadam adstrictione. Siccari hanc Plantam permittunt, rediguntque in farinam, et ea ex aqua reſoluta ulcera Gallica lue infecta lavant, atque ita feliciter medentur.

CAPUT XXIII.

De NANAHUAQUAHUITL, *seu morbi Gallici Arbore.*

Arbos est magna, comata, et excelsa, folia ferens Oleae similia, paululùm odora, amaraque. Quorum decocti jus matutino liberaliùs bibitum Gallico medetur morbo. Nascitur temperatis, humidisque *Hoeiacocotlae* locis.

CAPUT XXIV

De NANAHOAPATLI *Mexicensi.*

Caules profert octo uncias prolixos, tenuesque, et in eorum cacuminibus flores purpureos, quibusdam foliolis conflatos, unde postea prŏferuntur grana. Morbo confert vocato Gallico pulvis foliorum maceratus ex aqua, et bibitus, inspersusque ulceribus contagione praedicta infectis, aut nondum ruptis tuberculis. Nāscitur Mexici, atque *Huexocinci.* Quin et *Texaxahuaci* indicata nobis Herba est alia eodem nomine, parvula, Origani foliis, serratis, surculosis, tenuibusque radicibus, quam curare quoque e lue Gallica ortas eruptiones retulere. Visa autem mihi est calorem partĭcipare temperatum. Vidimus et aliam eodem nuncupatam nomine *Ocpayocani*, et *Mayanalani*, juxta torrentes, ac flumina, radici insistentem surculosae, fulvae, ac fibrarum plenae, unde proferebantur caules, sex dodrantes longi,

tenues, teretesque, et in eis Origani folia, saporis dulcis, et naturae lubricae, et siliquae modicae. Calida, humensque videtur, vel tantillum frigida.

CAPUT XXV.

De NANAHUAPATLI *Tepoztlanica.*

Montosis nascitur locis *Tepoztlani*, unde factum cognomen. Radices fibris similes fundit, numerosasque, et in caulibus octo uncias plùs minùs longis folia Lini, longiuscula, et angusta, et flores Chrysanthemi. Folia tusa, ac resoluta ex aqua, et admota tuberculis ea exsiccant; amaro enim est sapore, et temperie calida.

CAPUT XXVI.

De NANAHOAPATLI *Tohalanensi.*

Radicem fundit crassam, ac surculosam, quadratos caules, et oblonga, serrataque folia. Radix est amara, calidaque, et adjuncta *Teocopali* pustulis e Gallica lue ortis medetur.

CAPUT XXVII.

De NOCHEZTIC, *seu Grano tinctorio Tunis innascenti.*

Radices fundit surculosas, caules purpureos, sarmentosos, et in eis folia infernè squallentia, et hirsuta, obrotunda, et Ocymi paene magnitudine, flores in summis cau-

libus purpureos, atque orbiculares, unde nomen *Nocheztic*, cocco enim baphico, qui *Tunis* innasci solet, sunt similes, in parvos velut coacervati manipulos. Calida, et sicca ordine tertio natura constat, non sine quadam adstrictione. Radices semunciae mensura tusae, ac devoratae fluxum alvi cohibent. Nascitur in calidis *Coatlanensibus*.

CAPUT XXVIII.

De NONOCHEZTIC.

Herbula est per terram repens, foliis obrotundis, rugosis, undulatis, et per ambitum rubescentibus, floribus coccineis, parvis. Frigidae est, et humidae naturae, et saporis glutinosi. Tumores praeter naturam repellit, et in viis, maceriisque provenit quarumvis regionum, et praecipuè calidarum, qualis est *Quauhnahuacensis*.

CAPUT XXIX.

De NEIZOTLALPATLI, *seu vomitionis medicina.*

Herba est exilis, et parva, radicem fundens ponticis nucibus paulò majorem, e qua funditur caulis unicus, uno, aut altero adauctus ramo, et in eo folia Foeniculi, sed minora, per intervalla acervatim congesta. Radix grato sapore constat, dulcique, et glutinoso. Lacte manat, ac temperato calore praedita est, atque humore. Fructum fert orbicu-

larem, Coriani granis paulò majorem, in quatuor velut dissectum partes, et continentem semen nigrum, et oblongum, hoc est quaterna grana, totidemque, quot sectiones. Quatuor radices devorari solent tusae, atque resolutae ex aqua ad coërcendas e frigore ortas vomitiones. Nascitur ubique macro praecipuè, ac sterili solo.

CAPUT XXX.

De NEIZOTLALPATLI *secunda.*

Radicem promit tenuem, longamque, et fibratam, et ex ea caulem quatuor ex partibus pennatum secundùm ejus longitudinem, et in eo folia hirsuta, et subalbida, serrata, angusta, longaque, et florem candentem. Calida est, siccaque ordine secundo, odora, et acris. Succus foliorum decem drachmarum epotus mensura bilim per superna vacuat, unde evenit illi nomen. Nascitur in calidis *Chiauhtlae* juxta aquarum defluxiones.

CAPUT XXXI.

De NEPAPANXOCHITL, *seu Herba varia.*

Radicem fundit candidam, magnam, et fibratam, caules cinereos, et spiniferos, folia Ulmi, aspera, luteos, et parvos flores. Folia sunt odora gustu, nonnihil amara, calidaque, et sicca ordine circiter tertio, ac subtilium partium.

Jus decocti ejus semen in accessu ad foeminam interceptum, retentumque pellit. Nascitur in calidis *Cocollani*, montosisque locis.

CAPUT XXXII.

De NACAZPIPILÓLLI.

Volubilis genus est radice magna, foliis suprema ramorum parte ex albo rubescentibus, cordis figura, media parte plicatis, ibidemque aculeum tegentibus longiusculum, ex quo generatur flos longus ex albo rubescens calycis longi forma. Folia extrema expanduntur in caulis procursu quaterna serie, quae omnia abunde rara sunt, et visu conspicua, paucisque plantis solita contingere. Radix frigida, humidaque constat temperie, saporeque, et odore ferè nullo, ac febrientibus valde utilis esse reperitur, corpore ex ea illito, aut abluto. Nascitur *Hoaxtepeci* in saxis, atque acclivibus montium locis. Est etiam, cùm ex ipsis Arboribus soli praebentibus vicem escam sumit, et alimentum.

CAPUT XXXIII.

De NACAZCOLOTL, *seu auricula contorta.*

NACAZCOLOTL, quam alii *Patlahoachoixachin* vocare consueverunt, ita nuncupata est, quòd fructus ejus auriculae contortae referat formam. Vis est impensè adstringens, ac nonnihil calens. Paratur ex eo atramentum optimum, addi-

turque *Cacaoatl* viscerum corrobandorum gratia. Arbor ejus incondita est, folia ferens *Mizquitl*, ac fructum, qualem diximus. Nascitur *Texaxahunci Huaxtepecensis.*

CAPUT XXXIV.

De NACAZCUL.

Species est *Tlapatl*, *Huexotzincensis* provinciae alumna; fructus initio aculeatus est, ac demum spinas exuit, obrotundus, et in quatuor portiones Melopeponum modo divisus. Semen est fulvum, raphanino simile, quod siccum, tritumque, et resinae immistum praefracta ossa mirè solidat, conglutinat, ac reducit luxata: adjungunt Indi supernè avium pennas, et tabellis comprimunt, ducuntque aegrotantes in balineum aëreum, quod *Temaxcálli* patria lingua vocare solent, toties repetentes hujusmodi medicamentum, quoties videtur expedire. Nascitur ubique in ruderibus, et maceriis *Pahuatlanensibus*, et habetur ab indigenis ad praedicta incommoda reparanda in magno pretio. Forma ejus est, quae *Tlapatl*, folia enim sunt vitiginea, odoraque, mollia, pinguia, et hirsuta, caulis ficulneus, radices candidae, et surculosae. Quaterna folia tusa devorantur ex aqua contra totius corporis dolores, e Gallica etiam lue profectos, aut cum *Chilli* luteo illinuntur: cavendum autem, ne excedat pondus, quoniam alienationem efficeret, et variae, vanae-

que imagines viderentur obversari. Sunt, qui *Toloatzin* vocent.

CAPUT XXXV.

De TLAPATL.

Radicem fundit surculosam, et candentem, fructum obrotundum, similem erinaceis, caules virentes, folia Vitis, lata, etsi nubus, aut profundioribus laciniata crenis, florem candentem, ac longum, vasculorum figura. Frigida, quemadmodum et praecedens, temperie constat, ac sapore, odoreque insigni caret. Jure decocti foliorum corpus adversùs febres, et quartanam praecipuè illini solet, aut ellychnii, glandisve modò obdi; fructus verò, foliaque adversùs pectoris dolorem. Eadem aurium surditati ex aqua instillata conferunt. Cervicali imposita somnum conciliant pervigilibus, et si paulò liberaliùs devorentur, insaniam. Nascitur in quibusque locis, praecipuè *Tepecuacuilci*, et Mexici.

CAPUT XXXVI.

De NACAZPATLI, *seu auriculae medicina.*

Herbula est tenuis, longae, ac fibratae radicis, a qua statim pediculos agit, et in his folia nitida, tenuia, mollia, atque obrotunda, caulem verò modicum, tenuem, fulvum, et spicatum, et nullius paene odoris, aut saporis. Folia pugilli mensura ex aqua resoluta propinantur contra febrem,

quoties videtur expedire. Nascitur in calidis *Nexpae Totonacapensis* editis, atque humilibus locis.

CAPUT XXXVII.

De TOCHNACAZTLI, *seu Dasypodis auricula.*

Tochnacaztli, quam alii *Tochnanacazton*, alii verò *Tepatólli* vocant, genus est Phaseoli, surculosa radice, foliis obrotundis, ternis, mediocris magnitudinis, Leguminis floribus, purpurei coloris, ac siliquis dodrantem longis, et quaternos paene digitos latis, refertis semine, ac linea recta in alterum latus inclinante insignibus. Frigida, siccaque natura constat, febres sedat, et oculis inflammatione tentatis confert. Nascitur in calidis *Tacapichtlae* locis circa sata. Sunt, qui *Tlantziquixochitl* vocent.

CAPUT XXXVIII.

De TOCHNACAZTLI *altera.*

Volubilis est genus foliis subalbidis, pinguibus, angulis binis, ac interdum ternis, radice longa, tenuique, flore cyaneo, et modico. Frigida est, ac febrientibus utilis.

CAPUT XXXIX.

De TOCHNACAZTLI *tertia.*

Radicem fundit tenuem, et longam, et ex ea caules

sex longos dodrantes, foliis ornatos longis, angustis, et Dasypodis auribus similibus, unde nomen, insignibusque lineis procedentibus secundùm longitudinem, flores purpureos, oblongos, quales esse solent Leguminum. Folia lubrica sunt, et moderatè calida; ideoque pulvis veteribus plagis medetur inspersus. Nascitur in calidis *Oapani* collibus. Quin et apud *Tacapichtlenses* alia mihi visa est Herba eodem nomine, cujus folia altero latere auricula quadam insignita erant, interdumque duabus, unde invenit nomen, floribus Leguminis modo purpurascentibus, radice pollicari, longa, ac parvis siliquis. Hujus radix frigefacit, humectatque, et illita nimium passis calorem confert, ac oculis inflammatis est perquam utilis.

CAPUT XL.

De XOCHINACAZTLI, *seu Flore auriculae.*

Arbor est longis, et angustis foliis, viroreque exsaturato tinctis, et e pediculo velut marcido propendentibus in inferiora, flores in folia divisos interna parte purpurascentia, externa herbacea auricularum paene forma, et jucundo odore. Calidae est fructus ordine quarto temperiei, siccaeque ferè tertio. Additur potioni *Cacaoatl*, praedictarumque qualitatum ex aqua devoratus effectus praestat. Nascitur in calidis regionibus, nec quidquam est frequentius in Indorum emporiis reperire, aut majori habitum in pretio, velut

flos celeberrimae potioni gratiam summam concilians, suavemque odorem, et saporem, et salubrem quamdam naturam, nam flatum dicitur discutere, pituitam extenuare, ventriculumque frigentem, aut debilem, atque etiam cor calefacere, et stabilire.

CAPUT XLI.

De NANACACE.

Nanacace, seu *Herba angulosa*, radicem fundit crassam, et brevem in ponticarum nucum quamdam similitudinem velut divisam, fibratam, obductamque lanugine, ex qua unicus prodit caulis, purpureus, ac Vitis ferè viniferae folia, sed aliquantulùm oblonga, et in purpureum colorem vergentia: flores sunt juxta cacumen lutei, scariosis, oblongisque contenti calycibus. Radix est amara, et gustum paulisper mordens, quo fit, ut calidam, ac siccam esse conjectem; curatque, vacuata alicunde causa, febres, aut rigoribus pulsis. Ajunt enim Indi Medici crudam sudorem evocare, alvumque ciere: coctam verò mederi diarrhaeis, atque dysenteriis. Provenit montosis locis, ac temperatis, qualis est *Xochimilcensis*.

CAPUT XLII.

De NEUHTICXIHUITL, *seu Herba dulci.*

Radicem parvam fert, et fibratam, caules virides, ro-

tundos, tenues, ac duos cubitos longos, folia Ocymi, paulò majora, et magis acuminata, serrataque, flosculos coccineos, in stellarum manipulos quosdam compositos. Dulcis est, ut indicat nomen, acrisque, et calida temperie; quo fit, ut mista *Coltotl* et *Tlatlaolton* flatum egregiè dissipet, atque discutiat.

CAPUT XLIII.

De NEXTALPAE *radice.*

Radici insistit surculosae, unde prodeunt caules teretes, lignosi, referti Olivae foliis, sed minoribus, et fructu ciceribus simili. Sunt, qui vocent Herbam hanc *Tlanoquizpatli.* Drachmae unius pondere pituitam purgare dicitur: expertum nempe medicamentum, et perquam salubre. Acris est, odoraque, quarto ordine calida, et guttur urens.

CAPUT XLIV.

De NONOPALTZIN.

Alia quaedam est Sedi species, foliis ad radicem crassis, et modicis, caule, et floribus ceteris Sedi differentiis similibus, radice verò crassa, atque capillata. Frigida est, et adstringens, devoraturque adversùs dysenterias.

CAPUT XLV.

De NANAN, *seu matre.*

Arbor magna est, Mali Medicae, sed veluti contortis foliis, floribus e candido in luteum vergentibus, modicisque, fructu Unedoni persimili colore, magnitudine, et forma, dulci, eodemque modo admisso in cibos. Provenit *Quauhchinancī.*

CAPUT XLVI.

De MINUQUIXIHUITL, *seu mortuorum Herba.*

Frutex est quatuor dodrantes longus, stipitibus tenuibus, et virentibus, ac sudi similibus, foliis serratis, tenuibus, et longis floribus Iris. Epilepticis affectibus, cordique auxiliatur, frigidaque, et sicca natura praeditus est.

CAPUT XLVII.

De NANMATL, *seu quaternis ulnis.*

Volubilis est folia ferens ulmea, cyaneos, ac cymbalis similes flores, radices tenues, et surculosas, longasque, et sese Arboribus convolventes. Succus caulis expressus vomitiones ciet, ac ventris fluxum, duarum unciarum paenè mensura, nec tamen sine anxietatibus. Quamobrem non propinatur debilibus; exhiberi tamen potest his, qui febrem patiuntur, si vires constent: tunc enim humores omnes di-

citur vacuare. Provenit in calidis regionibus.

CAPUT XLVIII.

De NEMETZHOILIZPATLI, seu Lunae medicamento, aut menstrui muliebris.

Herbula est caules proferens tenues, teretes, et rubros, flores exiles, et rubescentes, modicos, ac cymbalares, folia Bliti, sed minora. Jus decocti menses evocat: amara est, et calentis naturae.

CAPUT XLIX.

De NEXOAXIHUITL, seu Herba cinerea.

Herba est radices surculosas fundens, et ex eis caules virentes, ornatos foliis raris, oblongis, acuminatis, infernè squallidis, et supernè viridibus, serratisque, et colore Salviae prope similibus, odoreque, adeo ut Salviae sylvestris species possit reputari.

CAPUT L.

De NETLATILPATLI, seu ignea medicina.

Radice firmatur fibrata, ex qua profert stipites virentes, geniculatos per intervalla, laeves, teretes, ac tenues, et in eis folia Myrthi, minora, et rariora, flores candentes, exiles ac longos. Amara est, calidaque, et sicca ordine ter-

tio. Jus decocti ejus ajunt propinari his, qui malè valent eo quòd rem habuerint cum recenter enixa, febricitantesque contabescunt. Nascitur in temperatis *Quauhtotolani*, editis, atque humidis locis.

CAPUT LI.

De NEYOLTZAYANALIZPATLI, *seu medicina Ximae cordis.*

Radices fundit capillis similes, unde prodeunt pediculi internè canaliculati, extra verò dorso anguloso, octo circiter longi uncias, e quorum singulis unicum prodit folium pingue, ac virens, Mali Medicae paene figura, nullis interveniis: caule caret, florem tamen fert in mediis foliis obrotundum, et ex albo purpurascentem, unde nomen. Sapore, et odore caret insigni, frigefacitque, et glutinosa constat natura. Folia resoluta ex aqua consuevere territis propinari. Nascitur *Hoeitlalpae.*

CAPUT LII.

De NEITLACOLPATLI.

Herbula est caules proferens Genistae similes, e fibrata radice, et in eis folia Origani, majora tamen, sed quandoque intersertis aliis longè minoribus. Radix est calens, et lubrica, et nonnihil lancinans guttur. Semen retentum pellit. Provenitque *Quauhquechullae.*

CAPUT LIII.

De NANAHUAPATLI *Tepuzculullensi.*

Radici insistit rotundae, et crassae, candentique, unde profert caules tenues, et geniculatos, et in eis folia Urticae, crenata, vitigineis quadantenus similia, et florem, ut ajunt, nullum. Pulvis radicis medetur tumoribus praeter naturam, ulceribusque Gallica lue infectis, et quibusvis doloribus. Primò dulcedinem quamdam praesefert, sed paulò post urit guttur. Diversis itaque constat partibus. Nascitur *Tepuzculullae Mistecae* superioris.

CAPUT LIV.

De NANAHUAXOCHITL.

Herba est folia ferens Amygdali, sed minora, et permultis distincta interveniis versùs latera procedentibus a dorso, ac flores, ut ajunt, pallentes. Haec permista *Cacallotlyhuax*, de qua sumus locuti suo in loco, medetur hydropi, aut cuivis alii tumori, per se verò octo drachmarum pondere morbo Gallica egregiè vacuatis humoribus per inferna, et urina evocata. Adstringens est, frigidaque, et sicca temperie, aut caloris moderati. Nascitur in jugis *Tepexicensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT LV.

De NAHUITEPUZ *Tepexicenſi.*

Herba eſt radici inſiſtens ſurculoſae, unde profert caules pennatos, folia ſerrata, longa, et anguſta, et infernè ſubalbida, ac florem parvum, et candentem. Inſipida eſt, frigidaque, ſicca, et adſtringenti temperie ordine ferè tertio. Curat dyſenterias. Naſcitur juxta fluvios *Tepexicenſes Miſtecae* inferioris.

CAPUT LVI.

De NANAHUAPATLI *Acatlanenſi.*

Radicem profert craſſae Batatae ſimilem, ramos, ac folia exilia, et candentes flores. Radix reſinoſa eſt, amara, calidaque, et ſicca gradu tertio, acris, et guttur exurens. Eadem tuſa, epotaque ex aqua ſemunciae pondere ſcabiei, quam vocant Hiſpanicam, medetur. Naſcitur in calidis *Acatlanenſibus Miſtecae* inferioris.

CAPUT LVII.

De NANAHUAPATLI *Tilancenſi.*

Radicibus inſiſtit ſurculoſis, unde profert caules dodrantem plùs minùs longos, et in eis folia Ocymi, ſerrata, ſed in longum productiora, flores pallentes, et mo-

dicos. Radix est nonnihil acris, et tertio calefaciens ordine, exsiccansque. Eadem drachmae unius pondere devorata ex aqua, quatuor continuis diebus matutino morbum Gallicum pellit ad exteriora, curatque. Nascitur in frigidis quibusque locis *Tilancensibus*.

LVIII.

De TOLPOLIHUILIZPATLI Tilancensi, *seu medicina amissi cordis.*

Genus videtur Solani cùm ob foliorum formam, tum etiam ob fructum vesicis quibusdam inclusum, ac refertum semine. Radix est surculosa, tenera, et succo manans, nonnihil amara, et calidae ordine secundo temperiei. Ajunt Indi Medici utilem esse duarum drachmarum pondere devoratam adversùs syncopim a calore ortam vehementi, quae accidere plerumque solet in febribus, unde nomen. Nascitur *Tilanci* frigidis quibusque locis.

CAPUT LIX.

De NACAZPIPILLÓLI, seu muraenula.

Herba est *Amaquemequensis* radicibus insistens fibratis, unde profert caules teretes, et purpureos, luteosque, et oblongos flores, folia *Cenanan Quauhnahuacensis*, subalbida infernè, et supernè virore exsaturato tincta, non usque adeo nervosa, aut firma, et folia Raphani resipientia. Frigida, et humida temperie constat, et oculis confert. Ajunt alii vomitum ciere, sed deinde sedandum esse, firmandumque

ventriculum assumta Planta, quam vocant *Tatacanaltic.*

CAPUT LX.

De NECOCOLIZHUAZALIZTLI *Tototepecensi.*

Radicibus innititur surculosis, unde profert caules volubiles, et in eis folia cordis figura, magna, et impensè acuminata, et nervis discurrentibus secundùm longitudinem insignia, flores verò, ut ferunt, albos, et oblongos. Radix, ac folia acri sapore constant, et odoro, calidaque, et sicca ordine ferè tertio natura, et subtilibus partibus. Ridiculum est, quod Indi Medici tradunt de hac Planta, foliis scilicet aut illitis, aut devoratis curari hecticam febrem, nisi maciem intelligant a crassis obstruentibus humoribus provenientem. Nascitur in calidis, planisque locis.

CAPUT LXI.

De NANAHUAPATLI *Tototepecensi.*

Radicem agit longam, surculosamque, et cortice tectam rubescenti, unde mittit caules tenues, ornatos Mali Medicae per longa intervalla foliis, sed amplioribus, et brevioribus, ac floribus candentibus, magnisque. Radix est amara, nonnihil acris, et urens guttur. Jus decocti ejus infusum colicos, et iliacos dolores sedat; calida enim est, et sicca ordine tertio natura. Provenit in calidis locis, seu planis, seu campestribus.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS QUARTUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De OLOLIUHQUI, *seu Planta orbicularium foliorum.*

OLOLIUHQUI, quam *Coaxihuitl*, seu *Herbam serpentis* alii vocant, volubilis Planta est, caules fundens e radicibus fibris similibus teretes, virides, tenuesque, e quibus prodeunt ſolia viridia, tenuia, cordis figura, flores albi, et longiusculi, semen rotundum, simile coriano, unde nomen. Calida quarto ordine Planta est, luem Gallicam curat, dolores e frigore ortos sedat, flatum, ac praeter naturam tumores discutit; pulvis resinae mistus pellit frigus, luxatisque, aut fractis ossibus, et lumbis foeminarum laxis

aucto robore mirum auxiliatur in modum. Seminis tantùm usus est in Medicina, quod tritum, ac devoratum, illitumque capiti, et fronti cum lacte, et *Chilli* fertur morbis oculorum mederi, devoratum verò venerem excitat. Id acri est sapore, et temperie, velut et Planta ejus, impensè calida. Indorum sacrifici, cùm videri volebant versari cum superis, ac responsa accipere ab eis, ea vescebantur Planta, ut desiperent, milleque phantasmata, et daemonum obversantium effigies circumspectarent; qua in re Solano manico Dioscoridis similis fortassis alicui videri possit. Nascitur in locis campestribus calidarum regionum.

CAPUT II.

De OLOLTIC *urente, seu Planta obrotundi fructus.*

Folia obrotunda producit Ololtic *urens*, quam alii *Tlayoyomoctli* vocant, ocyminis similia, sed minora, et in summo capitula condylis obrotundis aemula, unde fortassis nomen, depilia, et candentia. Acris est valde, urensque, unde distinctionis gratia fecimus illi cognomen. Ajunt pruriginem oculorum illitam solvere, et dolori dentium mederi. Radices sunt fibris similes, caules purpurei, et teretes, ac sesquidodrantem longi; flores, capitulave tandem dehiscunt, abeuntque in pappos. Odora est gustu, calida or-

dine prope quarto, siccaque. Nascitur in calidis *Xantetelci*, *Tacapichtlae*, et *Ocoituci*.

CAPUT III.

De OLOLTIC *secunda.*

Herba est radicem fibratam fundens, extra luteam, et intus candentem, caules quatuor prolixos spithamas, laeves, teretes, hirsutos, subalbidos, et nullis interceptos geniculis, folia parva, Leguminis, hirsuta, et subalbescentia, et in summis caulibus fructum longiusculum, ac digitum crassum, pilosum, et cinereum, flosculis circumdatum cyaneis. Radix est salivosae, frigidaeque naturae, et saporis nonnihil amari. Pulvis inspersus ulceribus inveteratis dicitur esse illorum praeclarum medicamentum. Nascitur apud *Quauhnahuacenses* campestribus, ac planis locis.

CAPUT IV.

De OLOLTIC *Xantetelci.*

Radici lignosae insistit, unde oriuntur caules binos dodrantes longi, purpureique, sed punctis candentibus distincti, et folia Chamaedryos. Calida, et sicca natura constat, non sine quadam adstringentia, ideoque dysentericos fluxus coërcet.

CAPUT V.

De OLOXOCHITL, *seu flore simili Mayzio.*

Herba est duas spithamas longa, et fibrata radice, unde profert caules virides, et tenues, et in eis folia rara, longa, amplaque, et majora Mali Medicae foliis, magisque acuminata, et in summa parte caulium fructum spiniferum, dactylo, glandive, aut spicae Mayzii similem, ex albo pallescentem, et odorum, unde nomen, quem altera parte amplectitur folium unum in sese velut convolutum, et plicatum. Frigida constat natura, et nullo, quod perceperim, insigni sapore. Provenit in locis calidis, humentibus tamen, et aquosis.

CAPUT VI.

De altera OLOXOCHITL.

Radici insistit surculosae, unde oriuntur caules purpurascentes, geniculatique per intervalla, et in eis folia Ocymi, sed virore diluto tincta, minimè serrata, interveniisque nullis distincta, et flores in summis caulibus terni, orbiculares, purpurei, coccineive, et interdum etiam candescentes, *Eloti* quadantenus similes, unde nomen. Floris est praecipuus usus, ut qui grato constet aspectu, sed odore nullo. Radix sicca, frigidaque praedita est natura; quamobrem

in laevorem redacta, inspersaque medetur ulceribus, et tumores praeter naturam repellit.

CAPUT VII.

De OLOXOCHITL *tertia.*

Herba est sex spithamas longa, caulem angulosum fundens, folia Acanthae, serrata, ac universum stipantia caulem, flores verò modicos, et purpureos, micantes a medio stipite ad usque summum. Nullum tamen ejus Herbae usum accepi, et ideo delineandam non curavi. Provenit *Tetzcoqui* circa loca plana, atque campestria.

CAPUT VIII.

De OLOPATLI *Arbore, seu Eloti medicina.*

Arbor est magna, cujus radicis cortex, qui acris est, et quarto ordine calefacit, atque exsiccat, adstringitque, epotus duarum drachmarum mensura ex aqua, additis quatuor granis *Cacaoatl*, ventriculum frigida distemperie languentem calefacit, ac roborat.

CAPUT IX.

De OLOPATLI *Herba.*

Herbula est hispida, et parva, radicem coccineam fundens, et cubitalem, opertam velut lenticulis concoloribus,

crassiusculam, et franciscanorum cingulorum nodos imitantem, spicamve Mayzii, unde nomen; Marrubii folia, Ocymive, serrata. Radix devorata semunciae pondere ex aqua, aut alio stillatitio liquore eidem rei congruenti foecunditatem conciliat, ac abigit sterilitatem. Sumenda verò eadem repetita mensura quater, quinquiesve, aut pluries, si ita videatur expedire. Est autem frigida, et sicca natura.

CAPUT X.

De OLOXIHUITL, *seu Herba Eloti.*

Frutex est parvus, folia Ocymi, modica, et longiuscula ferens, et flores circa summum spicatos, et purpureos, unde generatur semen. Oculorum morbis cum *Chicallotl* opitulatur. Nascitur in vallibus *Metztitlanicis.*

CAPUT XI.

De QUAUHOLOTL, *seu Arbore Eloti.*

Haec est Arbor illa vasta, quam *Haitini* vocant *Guazumum.* Folia sunt Mori, subalbida, hirsutaque, sed parte praecipuè inferna mollia, ac serrata, fructus oblongus, spinifer erinaceorum modo, edulis, glandium crassarum, ac brevium forma, et magnitudine, et flos parvus, candens. Fructus, stipitumque cortex frigida sunt, et glutinosa, ac plagas recentes, ac vetustas egregiè conglutinant. Nascitur

in calidis, qualis est *Yauhtepec*, ubi eam Arborem curavimus depingendam.

CAPUT XII.

De QUAQUAUHOLOTIC, *seu Ligno terete.*

Herba est quatuor dodrantes longa, radici surculosae insistens, internè pallescenti, extrinsecùs verò rubeae, unde profert caules purpureos, folia Ocymi, serrata, et flores, un referunt, parvos, et candentes. Tussi ajunt conferre radicem commansam ter die, succumque devoratum. Nascitur in calidis collibus agri *Tlachmalacacensis.*

CAPUT XIII.

De altera QUAQUAUHOLOTIC.

Radici insistit haec Herba extrinsecùs rubeae, internè verò candenti, et forma raphaninae simili, unde profert caules cinereos, utrinque stipatos foliis Ocymi, binis, sed minimè serratis, et angustioribus, flores verò candentes, exilesque. Vis est frigida, siccaque, et adstringens, atque ita mederi dicitur oris ulceribus, aliasve corporis partes infestantibus, praecipuè si habeant a calore ortum. Nascitur in collibus calidis *Hoitzoci.*

CAPUT XIV.

De OCELOXOCHITL, *seu Flore Tigridis.*

Radice firmatur porracea, ex aqua fundit folia Gladioli, nerveis discursibus densis secundùm longitudinem procedentibus, florem rubrum, magnum, ternis constantem foliis, sed circa medium pallentem, albumque, et tigrinae pellis more maculatum, unde nomen. Additur in corollas, floridosque manipulos ob floris praestantiam. Frigefacit radix, ac febrem exstinguit unciae unius pondere ex aqua devorata, et punctis adversatur, quae ardentes febres sequi solent. Edulis etiam est, frigentisque, nec omnino injucundi nutrimenti, lubrica, et pectori conferens. Nascitur clementi caelo, quale sortitur urbs Mexicana, hortensibus praecipuè, humidisque, et cultis locis. Sunt, qui dicant devoratam efficere foecunditatem.

CAPUT XV.

De OCELOXOCHITL *altera.*

OCELOXOCHITL *altera*, quam alii, quoniam parva Herba est, *Tlaloceloxochitl* vocant, alii verò *Cocoixtli*, seu *oculum Turturis* a floris similitudine, Herbula est dodrantalis, foliis Alsines, longiusculis, et angustis, floribus orbicularibus, in ambitu pallentibus, et purpurascentibus in medio,

et radicibus fibris similibus. Acris est, et amara, calidaque, et sicca ordine tertio. Jus decocti foliorum medetur tussi, folia verò ipsa tusa, atque imposita dolores dentium placant. Nascitur in temperatis, et calidis regionibus juxta montosa loca, incultaque passim.

CAPUT XVI.

De OCELOXOCHITL *tertia.*

Radicem fibratam fundit Oceloxochitl *tertia*, quam alii *Teyolchipahuac*, seu *exhilarantem cor* vocant, et ex ea caules stipatos per intervalla foliis Lini, quaternis, quinisve, longis, et angustis, et in summo flosculos purpureos, et obrotundos. Moerorem cordis, maximè a pharmaco, dicitur radix removere semunciae pondere ex aqua bis die devorata, aut per se, aut cum *Nextamalli.* Nascitur *Tlalmanalci*, frigida regione.

CAPUT XVII.

De OCELOQUAHUITL, *seu Tigridis Arbore.*

Arbor est folia ferens oblonga, stipites extra nigricantes, ac candidos flores. Lignum cortice nudatum, et redactum in laevorem, illitumque ex aqua medetur ulceribus, etsi videatur ad temperiem spectare. Nascitur in calidis collibus *Mayanalensibus.*

CAPUT XVIII.

De OZOMATOMATL, *seu Tomatl Simiae.*

Genus est Solani, acinos fundens ciceribus majores, et minores ponticis nucibus, primò virides, ac tandem rubeos; volubilis Planta est, et folia ceteris Solani generibus similia. Fructus est acidus, frigidus, siccusque. Mistus is *Chilli* praegratum condimentum, atque nutrimentum praestat.

CAPUT XIX.

De OZUMAXOCHITL, *seu Flore Simiae.*

Radice firmatur magna, lacte manante, admodumque glutinosa, e qua fundit quadratos caules, folia Origani, floresque subalbidos, et modicos. Radix est frigida, atque humens, et medetur praeter naturam tumoribus. Nascitur in jugis regionum calidarum *Tlaltizapani.*

CAPUT XX.

De OZUMAXOCHITL *altera.*

Volubilis est folia proferens ampla, flores magnos, candidos, atque purpurascentes. Nihil de ea insigne accepi. Nascitur *Ocuilae.*

CAPUT XXI.

De OCTZOTZOYÓN.

Radice firmatur fibrata, candidaque, unde profert folia parva, serrata, Origano similia, minorave, et aspera, caules tenues, et scabros, modicos, et caeruleos flores. Radix est amara, et tertio gradu calefaciens, et exsiccans. Propinatur ex aqua Glycyrrhizae adversùs pectoris dolorem, aut jus decocti ejus, additis aliquando radicibus *Tenextlacotl*, quae eumdem praestant usum. Provenit *Ocuituci.*

CAPUT XXII.

De OZTOAYXOCOUH, *seu Oxtoae fructu.*

Oztoayxocouh, quam alii *Coyotomatl* vocant, Arbuscula est folia ferens Limonis, flores in corymbis luteos, fructum racematim dependentem, coccineum, nostris cerasis majusculis parem, aut prunis damascenis vocatis similem, sed binis magna ex parte nucleis viridibus, sapore reliqui fructus, aut dulciore, et gratiore. Cortex hujus Arboris medetur dysenteriis.

CAPUT XXIII.

De OZTOAYEZOQUIL *Tacapichtlensi, seu Herba Phaseolorum.*

Radice firmatur prolixa, unde edit volubiles caules, folia Phaseoli, terna, cujus videtur species, siliquas quoque,

ac flores pallentes. Radix frigefacit, exstinguitque, ubi opus est, calorem. Nascitur in locis calidis, atque campestribus.

CAPUT XXIV.

De OZTOAYCONEUH, *seu Oztoae Catulo.*

Arbor est foliis Unedonis, verùm latioribus, et subalbidioribus, floribusque circa ultimos ramos spicatis, et luteis, rotundis, et exilibus, de qua nullum usum comperi.

CAPUT XXV.

De OTONXIHUITL, *seu Herba Otomitarum.*

Frutex est sex spithamas longus, folia multa Leguminis ferens, squallentia, et hirsuta, flores albos in purpureum colorem vergentes, exilesque, siliquas teretes, et longiusculas, ubi semen continetur, caules purpureos, et hispidos, ac radices fibrarum instar pallentes. Folia bilim vacuant per superna pugilli mensura contusa, resoluta ex aqua, atque devorata; quo remedio valde adjuti sunt Indi grassantibus exanthematis, quae ipsi *Cocoliztli* vocant. Radix dulcis quadantenus est, et calore modico, sed odore gravi. Provenit *Ocuilae*.

CAPUT XXVI.

De OMICICUILTLACOTL, *seu virga ossis lateralis.*

Radici insistit magnae, et surculosae, ex qua mittit

caules sex spithamas longos, folia oblonga, et crenata, floresque albos, et modicos. Frigida, et humenti constat natura, et ideo foliorum succus, foliave ipsa ex aqua resoluta, aut jus decocti eorum medentur oculorum inflammationibus. Nascitur in calidis juxta montium cacumina.

CAPUT XXVII.

De OMICICUILIN.

Polypodium nostras est, aut illi congener. Curare dicitur febres. Nascitur *Xicotepeci.*

CAPUT XXVIII.

De OATZONTIC, *seu Oatzin, seu capillis Mayzii.*

Herbula est dodrantalis, caules exiles fundens, et quernea folia e radice nigra, fibrataque, et cui lanugo quaedam innasci soleat, fovendis, atque excipiendis ignibus aptissima, et flores, ut referunt, candidulos. Radices sunt aliquantisper amarae, et glutinosae.

CAPUT XXIX.

De OMIXOCHITL, *seu Flore osseo.*

Radicem fundit Herba haec bulbosam, et obrotundam, a qua prodeunt caules virides, rotundi, et laeves, et in eis folia porracea, virentia, circa radicem tamen rubeo tincta colore, flores in summo caule candidos, oblongos, nostris-

que Liliis odore similes ; quamobrem Indica Lilia quidam vocant, et in foliola stellarum instar postrema parte divisos , ac circa medium nescio quid sublutei praeseferentes. Radix est frigida , humidaque , et salivosae cujusdam, lubricaeve naturae particeps. Species videtur Narcissi , Veteri incognita Mundo. Radix tumores praeter naturam apposita repellit, febres exstinguit, et fluxus a causa calida ortos retinet devorata. Provenit in frigidis, et temperatis regionibus. Flores adduntur in corollas , et odores.

CAPUT XXX.

De OMEXOCHIPATLI, *seu medicina duorum florum.*

Fruticis videtur species, ab una radice surculosa multos stipites proferens virides , teretes , et laeves, folia Amygdali majora , ac florem exilem , et ex luteo purpurascentem. Odore ferè, et sapore caret. Folia, quae glutinosa sunt , commansa vitiatos dentes emendant , ac eorum sedant dolorem ; tusa verò , ac redacta in pulverem medentur ulceribus recentibus, et antiquis. Frigida est , et glutinosa natura. Provenit temperatis regionibus *Quauhtotollani*, editis , humidisque locis.

CAPUT XXXI.

De TEPANOMIXOCHITL, *seu Omixochitl murali.*

A natalibus locis nomen sortitur, provenit enim circa muros, et parietes. Radices, caules, et folia fundit similia *Matlalin*, ac similiter ad Satyrionum species videtur referenda. Flores sunt e luteo rubescentes, spicatique circa postremos caules. Radices frigefaciunt, humectantque, nullum enim saporem praeseferunt.

CAPUT XXXII.

De TLALOMIXOCHITL.

Multis radicibus innititur brevibus, ac surculosis, Asphodeloque similibus, unde proferuntur breves caules, et in eis Salviae folia. Frigida constat natura, humidaque, et febrientibus apta. Narcisso nostrati videtur congener.

CAPUT XXXIII.

De TLALOMIXOCHITL *altera.*

Radici insistit brevi, et fibratae, e qua folia prodeunt saligna, caulesque, et in summa eorum parte flores oblongi, et candentes, vasculorum figura. Odora est, ac secundo ordine exsiccans, atque calefaciens. Nomen invenit a similitudine florum cum illis *Omixochitl.*

CAPUT XXXIV.

De OMIMETZTLI, *seu osse femoris.*

Radicem fundit teneram, crassam, longam, candentem, et fibratam, saporisque, et odoris expertem, glutinosam, et frigidae humentisque temperiei, et ex his caules purpureos, tenues, ac volubiles, folia Ocymi paene figura, et nonnihil undulata, ex viridi purpurascentia; flores in postremis ramis ex candido pallescentes, et exiles, ex quibus fiunt vascula obrotunda, semine referta. Radix ossa luxata reducit, fracta consolidat, locisque corporis casu, aut ictu concussis applicata fert opem, confert saniem mejentibus; dolores tollit, ac repellit praeter naturam tumores. Vocant eamdem Plantam *Otomitae Tunquiyeti*, alii *Poztecpatli*, alii *Potequïzpatli*, alii *Tlalhuapatli.* Provenit editis locis, montosisque *Temiltzincinci*, *Ocpayocani*, *Oapani*, et *Tototepeci*, nonnihil variante forma.

CAPUT XXXV.

De OMICOCOLIZPATLI, *seu medicina morbidorum ossium.*

Ita vocant *Hoeitlalpenses* Herbam quamdam *Tomiciplanae* similem, sese convolventem Arboribus; quae ossa fracta consolidat ebibita, aut applicata.

CAPUT XXXVI.

De OMIXALPATLI, *seu ossis arena.*

Frutex est caules edens virides, sarmentosos, tenues, et volubiles, e radice fibrata, crassaque, folia magna, cordis figura, sed magis acuminata. Sapore est acris, anethino haud dissimilis, et odor suavis. Jus decocti ejus flatum discutit, viscera calefacit, obstructiones aperit, pellit rigores, sudorem evocat, et alia hujusmodi praestat juvamenta. Nascitur *Hoeitlalpae.*

CAPUT XXXVII.

De OXITLACOTL, *seu virga resinosa.*

Herba est radicem fundens rotundam, albam, surculosamque, unde funduntur multi caules, aliquantulùm fulvi, hominis longitudine, folia Mali Persici, sed longiora. Odora Planta est, et tertio gradu calefaciens. Jus decocti radicis epotum aperit obstructiones, coctionem juvat, et satietati medetur.

CAPUT XXXVIII.

De OLOPIO *Mecatlanico.*

Arbor est magna, comataque, fructum proferens oblongum, umbilicatum juxta medium, pallentem, ac grati saporis, sed adeo obnoxium vitio, ut non possit integer longiùs adferri, claudentem intra se ossicula parva, et no-

men sui Arboris sortitum, ac folia magna, et oblonga; nec aliquid, quod spectet ad Medicinam, de ea Arbore accepi.

CAPUT XXXIX.

De OCUILPATLI, *seu Lumbricorum medicina.*

Herba est e surculosa radice tenues, ac multos proferens caules, ramulis refertos, quos ornant folia *Mizquitl*, Rutaeve, ex utraque eorum parte serie quadam disposita. Jus decocti infusum satietati medetur, ac Lumbricos pellit, quos adesse testantur, quando aut facies tumet, aut defluunt capilli. Calida est, et sicca gradu tertio, ac foetidi odoris. Provenit humidis in locis, ac faucibus montium *Hueitlalpae.*

CAPUT XL.

De OCUILTONANPITZAHOAC.

Radici insistit surculosae, ex qua tenues edit ramos, et in eis folia tenuia, parvaque, et orbiculares, luteos, ac pilosos flores. Amara est, et tertio ordine calens. Cortex radicis tusa, et oculis inspersa carnem superexcrescentem eorum absumit, ac gravibus febribus vacuata fortassis materia dicitur mederi devorata. Nascitur in collibus Arborum expertibus frigentium regionum, qualis est *Tlaxcallensis*, necnon apud *Huexotzincenses.*

CAPUT XLI.

De OCUILTLACOTL, *seu lumbricorum sude.*

Radicem fundit surculosam, firmamque, caules laeves, teretes, et fulvos, ac sex spithamas longos, flores subluteos, exiles, et in spicas compositos; tota verò Planta adeo similis est *Zacatlachichinoae*, ut eamdem illi esse, solummodo differentem natalibus, aut congenerem suspicer. Mederi verò ajunt intertrigini. Nascitur in calidis *Johalani* locis juxta montium radices.

CAPUT XLII.

De TEOCUILIN, *seu saxeis vermibus.*

Spectanda constat Herbula haec forma: truncos enim initio mittit velut geniculatos, aut squamiferos, et circulis quibusdam Palmarum instar praecinctos, qui capillis undique prodeuntibus radicantur statim terra solùm attacta; ex eisdem prodeunt folia cordis figura, rara, necnon et cauliculi, ni fructus vocare malis piperi longo persimiles. Herba est gustu odora, acrisque, calida, et sicca ordine tertio, aut fortassis quarto. Laevigata haec, atque inspersa vulneribus egregiè medetur, flatum dissipat, ventris sedat dolorem infusa, viscerum frigus pellit, hydropem sanat, urinam evocat, aliosque hujusmodi praestat usus. Subtiles

sortitur partes, et innascitur saxis locorum humidorum, atque calidorum.

CAPUT XLIII.

De OCUILPATLI *Tanguitlanensi.*

Fibris insistit Ocuilpatli *Tanguitlanensis*, unde oriuntur caules multi, tres dodrantes longi, tenues, ac teretes, et in eis folia longa, et angusta, Olivae similia, et flores pallentes. Radices sunt amarae, atque subdulces, participantes nonnullam siccitatem, et calorem. Lumbricos dicuntur interficere, et curare dysenterias duarum drachmarum pondere devoratae. Nascitur in frigidis *Tanguitlanensibus.*

CAPUT XLIV.

De OCUILPATLI *Tepuzculullae.*

Radicibus firmatur helleborinis, unde profert pennatos, complanatosque, et ternos dodrantes longos caules, et in eis folia Sonchi, longa, tenuia, angulosa, spiniferave, et flores modicos, et candentes. Radix est initio dulcis, et nonnihil lubrica, deinde verò amara, et acris. Calida, siccaque ordine tertio natura constat. Radices trium drachmarum pondere bis die epotatae lumbricos pellunt. Nascitur in frigidis *Tepuzculullae.*

CAPUT XLV.

De OCUILPATLI *Tepuzculullae altera.*

Radicibus insistit helleborinis, tenuioribus tamen, unde edit caules ternas spithamas prolixos, teretes, et tenues, et in eis folia Lini, longa, et angusta, flores in cacumine Chamaemelo similes. Folia sunt amara, calidaque, et sicca gradu tertio. Eadem duarum drachmarum pondere devorata pellunt lumbricos, ventrisque leniunt dolorem. Nascitur in frigidis *Mistecae* superioris.

CAPUT XLVI.

De OCUILPATLI *tertia.*

Radicibus insistit Hellebori, unde mittuntur caules, et in eis Salicis folia, flores candentes, et magni. Calida est, siccaque ordine tertio natura, amara, acri, et guttur paululùm urenti. Radices laevigatae, atque devoratae ex aqua unciae unius pondere lumbricos, ut nomen indicat, interficiunt, ac pellunt. Nascitur in planis, temperatisque locis *Mistecae* inferioris juxta fauces montium.

CAPUT XLVII.

De OCUILPATLI *quarta.*

Radicibus surculosis innititur, unde profert caules sesquidrodrantales, et in eis folia Ocymi, quae calida, siccaque sunt ordine tertio, amaraque, flores verò albos, et modicos. Jus decocti foliorum, ut indicat nomen, lumbricos pellit. Nascitur in collibus regionum calidarum *Mistecae* superioris.

CAPUT XLVIII.

De OCUILCHICHILPATLI.

Radicibus innititur fibris similibus, unde profert caules, et in eis folia obrotunda, et coccineos flores. Amara est, calefacitque, et exsiccat ordine tertio. Nascitur in temperatis *Mistecae* superioris.

CAPUT XLIX.

De OCUILPATLI *Mistecae superioris.*

Radici fibratae insistit, unde profert caules rotundos, dodrantem ferè longos, tenuesque, et in eis folia Ocymi, minutissimè serrata, et flores albos. Amara est, odora, calidaque, et sicca gradu tertio non sine quadam acrimonia.

Lumbricos pellit semunciae pondere devorata. Nascitur in collibus temperatis.

CAPUT L.

De OCUILPATLI *Huaxacensi.*

Radicibus insistit helleborinis, unde prodeunt caules, et in eis folia Ocymi, ac flos nullus. Radices tusae, et unius drachmae pondere matutino devoratae solvunt alvum, ac lumbricos pellunt. Nascitur in planis, temperatisque *Huaxacensis* agri locis juxta montium fauces.

CAPUT LI.

De OLOPATLI, *seu medicina rotunda.*

Olopatli, quam alii *Oloxihuitl* vocant, Arbuscula est vix superans hominis altitudinem, calyci similis, sed rotundis flosculis, luteis, et compositis in comas, pilosis, et in pappos abeuntibus. Calidis, et frigidis *Tilanci* locis provenit, juxta fluvios, et aquosa loca. Radix est humens, salivosaque non sine quodam calore, et amaritudine: expertum tamen est adversùs urinae acrimoniam magnopere conferre quatuòr drachmarum mensura ex aqua epotatam bis quotidie.

CAPUT LII.

De OCUILPATLI *Tototepecensi.*

Radicibus adhaerescit fibratis, unde edit caules spithamaeos, tenues, et teretes, et in eis folia Ocymi, sed angustiora, et flosculos in stipitum procursu juxta foliorum exortus candentes, aut nonnihil luteos. Radix videtur in quemdam calorem inclinare, et amaritudinis quidpiam praeseferre; atque ita ferunt ex aqua resolutam, et sex obolorum pondere devoratam lumbricos et occidere, et pellere. Provenit in calidis, et planis locis.

CAPUT LIII.

De OMITZAPOTL, *seu Tzapotl osseo Tototepecensi.*

Arbor est foliis *Cochiztzapotl*, floribus candidis, et modicis, fructu verò simili fructui *Cacaoaquahuitl*, sed minori. Amara est, et virus effundens grave, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Dolores ventris infantium a frigore, aut flatu ortos sedat semen tusum, ac bibitum ex aqua, quod inter omnes partes praedictum saporem, et odorem ostendit. In calidis collibus, et montium cacuminibus exsultat.

CAPUT LIV.

De OCUILPATLI *Tototepecensi altera.*

Radicibus tenuibus adhaerescit, unde fundit caules geniculatos, caeruleosque, et ab eis pediculos longos, quibus appendent folia, statim, cùm emarcuere, pallescentia, ferreisque hastarum similia mucronibus, mediocris magnitudinis, ac florem, ut ferunt, nullum. Acris est, et calens ordine quarto. Jus decocti vomitu pituitam purgat, bilimque; atque ita mederi ajunt interpellatis febribus, ventris tineas pellere, ac dolorem ejusdem sedare. Gaudet nasci in temperato solo saxosis, asperisque locis, et montium faucibus.

CAPUT LV.

De OCOXOCHITL *Ygualapensi.*

Herba est parva, foliis salignis, sed minoribus, et angustioribus, et floribus fulvis. Odoribus inservit ipsa, ejusque stillatitius liquor; Lotum enim urbanam olet haud aliter, ac *altera Ocoxochitl*, de qua in superioribus dictum est; quamobrem depingendam curavi, etsi nihil adhuc accepe-

rim de ea , quod humanae saluti sit ex usu. Nascitur in calidis , humectisque locis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS QUINTUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De PALTIC, seu madida medicina.

Radicibus firmatur Paltic surculosis, e quibus profert caules striatos, et candentes, folia magna, et interveniis rectâ procurrentibus insignia. Frigida est, ac febres devorata sedat.

CAPUT II.

De PIPITZAHOAC, seu Herba exilium radicum.

Herba est radicibus innixa fibrarum, Helleborive instar, unde sumsit nomen, e quibus profert caules fulvos, stipatos foliis longiusculis, et angustis, salignis proximis, sed

longè minoribus, flores in supremis caulibus luteos, et in parvas umbellas compositos, flavos, et orbiculares, nodorumque, aut spondylorum obrotundorum forma. Radix est acris, et lubrica, calidaque, et sicca ordine quarto, et guttur urens. Bilim, pituitamque vomitione, aut alvo excitata detrahit semunciae devorata pondere, tussique, et vetustis medetur plagis. Nascitur in calidis *Quauhquechullae.* Sunt, qui Herbam *Nunnii de Chaves* ab inventore vocent.

CAPUT III.

De PIPITZAHOAC *altera.*

Radices agit tenues, et longas, unde nomen, et ex eis caules purpureos, teretesque, ac lineis secundùm longitudinem procurrentibus distinctos, flores coccineos, quos edit circa finem Decembris, folia Raphanum sylvestrem quadantenus aemulantia, *Zazanacamve*, aspera, multa, serrata, ac frequentibus nerveis discursibus insignia, unde quidam *Pipitzahoacxiuhpatlahoac* vocant. Radices sunt urentes, amari saporis, subtilium partium, et quarto excalfacientes ordine cum siccitate. Tumores colli, gutturisve, et quoscumque alios praeter naturam discutiunt folia terna tusa, atque imposita: verùm solet eodem tempore radix scriptuli unius mensura resoluta ex aqua propinari additis decem granis *Cacaoatl.* Nascitur in collibus *Amaquemecae*, regione nempe

frigida, non plurimùm ab Aetna Mexicana distante.

CAPUT IV.

De XIOPATLI, *seu leprae medicina.*

Frutex est radicibus insistens lignosis, surculosis, et multis, candentibus internè, extra verò fulvescentibus, ex quibus prodeunt caules geniculati, multi, laeves, atque virentes, teretes, digitali crassitudine, ac quaternos prolixi cubitos; in eis verò Mori folia, longè tamen ampliora, aspera, et serrata. Tusa folia, illitaque lepram, et lichenas curant, atque absumunt, praecipuè si aegrotus ducatur in balneum post hujusmodi adhibitam curationem, quod Indi vocant *Temazcàlli*. Nascitur *Hoeitlalpae* humidis locis, montiumque faucibus juxta aquas. Frigida verò, siccaque temperie constat, glutinosa, ac nonnihil adstringenti.

CAPUT V.

De PAPACONI, *seu Herba grata.*

Herba est Verbasco nostrati persimilis, in cujus species videtur posse commodè referri, foliis magnis, mollibus, subalbidis, et hirsutis, floribus in summis caulibus, qui quadrati, striati, albi, et arenosi sunt, candentibus, comantibus, hispidisque, et intrinsecùs vergentibus in luteum, et pediculis subalbidis, ac velut refertis arena, qua tractata

inficiuntur manus. Odore gravi constat, siccaque, et adstringenti non sine quodam calore natura; medeturque vetustis, ac recentibus plagis. Nascitur *Chiauhtlae*, ubi eam offendimus, atque descripsimus.

CAPUT VI.

De PILTZINTEUHXOCHITL, *seu Flore filii Principis, aut Dei prima.*

Herba est quatuor dodrantes longa, foliis minimè serratis, salignis, caule geniculato, purpureo, minimi digiti crassitudine, ac laevi, radicibus capillorum instar, floribus in summo, extra coccineis, intra verò pallescentibus, siliquis *Chilli* haud dissimilibus, candenti refertis semine, vergente in fulvum, compresso, atque oblongo. Amara est, et gravis odoris, quem spirat gustata, et calentis temperiei. Cortex autem caulis aliquantulùm dulcis est, nec adeo foetidus. Jus decocti infusum, illitumve flatus discutit, ac dolores lenit, frigus pellit, et emundat intestina; sed quia nihil insigne de ea Indi narraverunt, non curavi delineandam.

CAPUT VII.

De PILTZINTEUHXOCHITL *altera.*

Frutex est folia proferens Ulmi, sed minora, coccineos flores, in corymborum formam compositos, caules

quadratos, lignosos, squallidos, ac lentae medullae, spiniferos, et virentes, sed subfulvos juxta cacumen, acinosque Solani more viridi colore tinctos. Folia gravem odorem spirant, *Guajavae*, aut *Xalxocotl* minimè dissimilem; calidaque, et exsiccante vi ordine tertio sunt praedita. Suffitus eorum confert febrium rigoribus ablegandis, et leniendis capitis doloribus. Pulvis medetur psorae, leprae, et impetigini illitus affecto loco, aut duarum drachmarum pondere epotatus, uterinis verò affectibus ipse vapor. Nascitur montosis, et calidis locis *Acatlicpacensibus*, et *Teocaltzincensibus*, ubi minimè spinifera provenire solet.

CAPUT VIII.

De tertia PILTZINTEUHXOCHITL, *seu Olotlacotl.*

Frutex est folia proferens lata, aspera, et hirsuta, stipites quadratos, squallentes, et sarmentosos, florem orbicularem, candentem, compositum in corymbos, similem *Oloxochitl*. Folia olent adipem, cui Nardus Italica permista sit, qualis luxatis ossibus solet adhiberi, aut bellaria e farina triticea, caseo, et Mentha consueta parari. Vis est Italicae Nardi.

CAPUT IX.

De PILTZINTEUHXOCHITL *quarta.*

Herba est e radicibus capillis similibus caules proferens quaternos dodrantes longos, virides, laeves, teretes, tenuesque, folia Mali Medicae, et multis distincta interveniis, ac florem luteum, et exilem: ex foliorum pediculis discissis, fractisve lac effluit ulceribus putridis curandis mirabile, et conglutinandis plagis recentibus. Frigida constat natura, nonnihil glutinosa, et odore, saporeque insigni nullo. Nascitur in calidis regionibus *Papaloticpaci*, sive editis, sive humilibus locis, udis tamen, atque humore manantibus.

CAPUT X.

De PILTZINTEUHXOCHITL *Arbore.*

Arbor est ramosa, mediocris magnitudinis, foliis Mali Medicae, sed amplioribus, caule geniculato, laevi, ac molli medulla, velut Ficus, referto, ac floribus candidis. Cortex stipitum sapit Carduorum fructus, calefacitque secundo gradu, aut ampliùs: acris enim est, et gustu odorus. Folia tusa, illitaque placare dicuntur febres; sed quia calida etiam sunt, credendum est id praestare evocatis humoribus, aut rigoribus depulsis, ni malis intensiorem calorem placare, et causam facientem morbum incidere, atque concoquere.

CAPUT XI.

De PALANCAPATLI, *seu ulcerum medicina.*

Radicem fundit Palancapatli magnam, stipites volubiles, et longos, sarmentosos, atque per intervalla geniculatos, contortosque, et folia Solani. Radix redacta in farinam, inspersaque putridis ulceribus medetur, unde sortita est nomen; extergit siquidem sordes, carnem instaurat, et recreat, ac cicatricem obducit. Est autem vis radicis frigefaciens, et exsiccans.

CAPUT XII.

De PALANCAPATLI *altera.*

Est et Herba altera ejusdem nominis radicem fundens longam, et candentem, crassamque, si reliquis conferatur partibus, cauliculos multos, teretes, tenues, ac modicè purpureos, folia Hypericonis, sed minora, et minimè perforata, floresque rubeos, ac parvos. Pulvis ejus albumini ovorum permistus curat ulcera, conglutinatque, et demum cicatrice obducit.

CAPUT XIII.

De PALANCAPATLI, *quae et Tonalxihuitl dicitur.*

Radici insistit crassae, et rotundae, e qua fundit caules geniculatos, purpureos, tenues, teretesque, folia pro-

lixa, et tenuia, Aphacae sylvestris folia imitantia, et flores candentes, modicos. Radix medetur putridis ulceribus. Provenit locis campestribus agri Mexicani. Congener videtur praecedenti cùm forma, tum etiam natura.

CAPUT XIV.

De POXAHOAC, *seu Herba lenta.*

Herba est caules fundens ex albo rubescentes, sarmentosos, ac per intervalla geniculatos, et in eis folia vitiginea, radicem unicam, glandi, aut Asphodelo similem; quae tusa, atque devorata unciae unius mensura semen retentum pellit. Fructu dicitur carere, et flores edere pariter rubescentes ex albo.

CAPUT XV

De POZTECPATLI *Mecatlani, seu fracturarum medicina.*

Radicem transversam, et fibratam agit, et ex ea caules digitum crassos, geniculis interceptos, teretesque, et e singulis nodis bina folia Mali Persicae similia, sed infernè coccinea, flores verò quinque constantes foliis rubescentibus, eadem forma, sed longè minoribus, ac orbiculo circa medium pallescenti. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, sicca, et adstringenti, non sine quadam asperitate, natura constat. Caules, foliaque tusa, et icto loco imposita

tumorem arcent, nec minùs bibita conferunt, et, ut nomen indicat, luxatis, praefractisque ossibus medentur. Nascitur *Mecatlanico* agro.

CAPUT XVI.

De PATLAHOACXIHUITL, *seu Herba latifolia.*

Surculosis radicibus constat, ex quibus multos porrigit caules, longos, sarmentosos, et tenues, in eisque folia tenuia, cordis figura, magnaque, unde nomen, et florem piperi longo haud dissimilem. Odoro constat gustu, calidaque, et sicca ultra gradum secundum natura. Jus decocti ejus dolori ex frigore, aut flatu orto opitulatur. Pulvis naribus infusus sternamentum ciet, tractaque pituita capitis lenit dolorem; frigidisque, et montosis locis nascitur.

CAPUT XVII.

De PATLAHOACXIHUITL *altera.*

Species est Filicis similis alteri ex eis, quae supra imaginibus expressae sunt, eadem natura, et viribus; quamobrem non curavimus delineandam.

CAPUT XVIII.

De PATLAHOACATLINAM, *seu aquarum parente latifolia.*

Radicem fundit lignosam, et fibratam, folia squallida,

hirsutaque, et Limonis forma, et magnitudine, caules ternas spithamas longos, ac flores luteos, Septembri mense micantes. Frigida, humentique constat natura, et sapore, et odore ferè nullo. Medetur ulceribus oris, ac dentes in pulverem redacta, et applicata confirmat. Nascitur *Tohalani* juxta aquas.

CAPUT XIX.

De PAPATLAHOAC.

Radicem fundit crassiusculam, teretem, et fibratam, unde prodeunt multi pediculi, longi sesquidodrantem, et ex eis folia ampla, et serrata, cordis figura, et dorsi purpurei, flores verò, fructusve, ut referunt, nulli. Herba est odorata gustu, paululùm amara, acris, calidaque, et sicca ordine tertio, et subtilium partium. Radix tusa, et redacta in pulverem devoratur semunciae pondere ex vino *Metl* adversùs articulorum dolores; nam sudore copiosè evocato sanitati aegrotantes restituuntur: verùm senis transactis diebus mos est Indis ducere aegrotantes in balneum aëreum, quod ipsi vocant *Tematzcalli.*

CAPUT XX.

De POCXIHUITL, *seu Herba fumosa.*

Radicibus firmatur surculosis, longis, et rubescentibus, e quibus fundit caules geniculatos, itidem rubeos, folia

Limonis, flores in stipitibus extremis pallescentes e viridi, et persimiles capitibus Corrudae. Radix est Medicinae utilis, temperati caloris, et saporis, ad dulcedinem pertinentis. Epotae hae drachmae unius pondere frigora, atque horrores febrium dicuntur tollere, et munda jam corpora firmare, roborareque; cujus rei gratia majori ex parte solet ab Indis devoranda exhiberi. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT XXI.

De PILPECHTLI, *seu herois lecto.*

Volubilis genus est arbores scandens excelsas, et cùm pervenit ad summum, alias connectens aliis; stipites sunt striati, ac geniculis palmitum instar intercepti, e quibus per intervalla prodeunt folia magna, lataque, cordis figura, serrata, et radices fibrarum instar. Expressus succus bibitur adversùs venenatorum animalium morsus mensura decem unciarum. Temperatis constat viribus, provenitque locis calidis *Hoeiacocotlae.*

CAPUT XXII.

De PANXOCHITL, *seu Flore vexilli.*

Radice firmatur candida, lacte mananti, ex qua profert caulem tres prolixum cubitos, folia Olivae, tenuiora tamen, et serrata, amarique saporis, et flores longiusculos,

rubeosque, aut pallentes. Radix in laevorem redacta, atque ex aqua ovi putaminis mensura ebibita, aut infusa laesam membrorum motionem restituit, laxat nervos contractos, luem Gallicam curat, et articulorum doloribus medetur. Calida, et sicca juxta tertium ordinem natura constat, potestque viribus valenti manè, et serò citra noxam ullam exhiberi. Provenit in frigidis *Tototepecensibus*, praeruptis, atque humidis locis.

CAPUT XXIII.

De PHEHUAME, *seu medicina ad partum accomoda.*

Quam *Mechoacanenses* Phehuame vocant, apud quos copiosè provenit, Dioscorides noster Aristolochiam clematiten nuncupat; tamen quoniam neque illam apud alterius Orbis colonos pictam, aut vivam mihi unquam videre contigit, et huic Orbi familiaris est, delineandam curavi, additis praeterea eis usibus, quos hae gentes, et nunc demum ego ipse experimento comperi. Ergo volubilis Planta est, folia ferens cordis figura, sed tamen minora, flores purpureos, ceteris generibus Aristolochiae similes, radicem crassam, longam et suberneo cortice vestitam. Hujus est praecipuus in Medicina usus, ut quae odora valde sit, acris, calidaque, et sicca ordine tertio temperie, ac subtilium partium. Jus decocti, si eadem cura, qua Chinae, aut Zar-

zaeparrillae solet, paretur, aut eisdem misceatur, et persimili quoque victus, ceterarumque rerum, quas vocant non naturales, institutione exhibeatur, quemvis frigorificum affectum, aut a lue Hispanica profectum mirè curat, tussi antiquae, asthmatique medetur, flatum discutit, comminuit lapidem renum, et vesicae affectibus ex frigore ortis succurrit, dolores capitis, et quosvis alios, qui inveterati sunt, tollit, vitiatum colorem emendat, menses trahit, partum accelerat, reserat obstructiones, ac frigus pellit: eadem radix duarum drachamarum pondere humores crassos, ac lentos, sed praecipuè pituitosos vacuat, quemadmodum ceterae congeneres, quod antiquos latuisse puto. Habetur haec Planta maximi ab indigenis, et computatur inter saluberrimas. Nascitur temperatis, frigidisque regionibus *Mechoacanensibus*; quo fit, ut conjectem facilè posse ad loca Hispaniarum temperata, aut paululùm calentia transferri. Est et alterum genus *Phehuame* vocatum *minus*, nonnihil forma differens, sed eisdem facultatibus constans, fibrata radice, foliis minoribus, et capreolis quibusdam sese hinc, et inde convolventibus; cujus jus decocti narratur inter reliqua ictibus scorpionum mirè prodesse.

CAPUT XXIV.

De PEYOTL *Xochimilcensi.*

Peyotl, seu *nitens medicina*, radicem fert crassam, teretem, et obductam lanugine praeter alias juglandibus similes forma, atque magnitudine, ab omnium maxima hinc, et inde prodeuntes; caulem viridem, unicum, teretem, ac lentum, folia rara, Pyri foliis haud dissimilia, pediculis purpureis appensa, flores circa caules postremos luteos, ac calycibus contentos scariosis. Frigida est ejus temperies; atque ita radix ejus bibitur adversùs febres drachmae unius pondere, necnon adversùs ventris fluxum.

CAPUT XXV.

De PEYOTL *Zacatecensi, seu radice molli, et lanuginosa.*

Radix quaedam est mediocris, nullos proferens ramos supra terram, foliave, sed lanuginem quamdam ei adhaerecentem; quamobrem a me non potuit aptè delineari. Ajunt marem, faeminamque offendi. Dulcis videtur gustu, ac moderati caloris. Tusa, admotaque doloribus articulorum dicitur mederi; illud ferunt de hac radice mirabile (si modo fides sit vulgatissimae inter eos rei habenda) devorantes illam quodlibet praesagire, praedicereque; velut an sequenti die hostes sint impetum in eos facturi? anne illos felicia ma-

neant tempora? quis supellectilem, aut aliud quidpiam furto subripuerit? et ad hunc modum alia, quibus *Chichimecae* hujusmodi medicamine student cognoscendis. Quin radicem ipsam intra terram abditam, et nascentem investigaturi, ubinam offendenda sit, altera perdiscunt devorata. Nascitur humidis in locis, et quae calcis participant naturam.

CAPUT XXVI.

De POPÓLI *Quauhtepecensi, seu Herba subacta.*

Frutex est humilis radici firmae innixus, surculosae, fibrataeve, unde prodeunt caules rutaceis ornati foliis, paulò longioribus, et floribus exilibus, et candentibus. Frigida constat natura, et tumores praeter naturam repellit. Gaudetque temperatis locis.

CAPUT XXVII

De QUAPOPOLTZIN, *seu montanis scopis.*

Herba est fibratis radicibus innixa, unde prodeunt caules purpurei, et in eis folia longa, et angusta, ac flores in summis ramulis virentes, et congesti in acervos. Calida natura constat, urinam evocat, et febrium intermittentium rigoribus medetur, ipsisque febribus, aut evocato sudore, aut causa quomodolibet aliter vacuata. Nascitur *Xalatlauhci*, et in agris Mexicanis haud uno in loco provenire solet.

CAPUT XXVIII.

De TEPÓPOL.

Radices fundit fibris similes Tepópol, seu *Herba saxosi loci*, tenues, et nigras, ex quibus multi caules oriuntur exiles, fulvi, teretesque, et duos cubitos longi, ſoliis squallidis, serratis, parvisque, et ocyminis similibus referti, flores circa summos ramos odori, et ex albo rubescentes, sed virentibus contenti vasculis. Binae drachmae radicum bilem per superna dicuntur vacuare, si tusae, atque in laevorem redactae matutino devorentur ex aqua.

CAPUT XXIX.

De POPO.

Duae herbae offenduntur apud *Mechoacanenses* ejusdem nominis: prior est nostras Helichrysos, quam ajunt devoratam evocata vomitione purgare bilim, et infusam intestina infernè emundare; secunda verò radici innititur fibratae, unde fulvi caules eduntur, et in his saligna folia. Frigida haec, humidaque constat temperie, ac febres mitigat devorata.

CAPUT XXX.

De POPO.

Radici innititur obrotundae, fibrataeque, et parvae, un-

de prodeunt cauliculi tenues, et fulvi, et in eis folia Salicis, per intervalla septena. Illita folia dicuntur punctis mederi. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXI.

De POPOLOCATIC, *seu Herba simili culmo frumentaceo.*

Radicem fundit raphano similem, sed tenuiorem, intus candidam, extra fulvam, caules tenues, et lentos, ac folia Ocymi. Radix frigida, et sicca constat natura, febres sedat, et coërcet alvum. Nascitur *Teotihoacani* in planis locis, expositisque soli.

CAPUT XXXII.

De POPOZON, *seu Herba simili spumae.*

Herba est longa, undique lanugine nonnihil spinifera vestita, flores purpureos ferens, sed media parte luteos, e quibus generantur vesicae quaedam striatae, semine rotundo candenti, ac margaritis simili refertae, sed quod demum in nigrum evariet colorem. Frigida, et sicca natura constat. Provenit *Ocoituci* in udis faucibus montium.

CAPUT XXXIII.

De POPOZOXOCHITL, *seu Flore spumoso.*

Herba est caules fundens, tenues, teretes, et purpu-

reos, folia Coriani, flosculos multorum colorum. Odoris est, ac saporis ferè expers, ideoque nullius, quod adhuc compererim, usus, praeterquam floris. Nascitur in hortis, viridariisque, ac planis locis.

CAPUT XXXIV.

De POPOZOCA, *seu Herba spumae simili.*

Herba est visa mihi *Quauhquechullae*, et *Itzocani*, pituitam per superna unciae unius pondere devorata purgans: Calida constat, siccaque, et glutinosa ordine tertio natura, et guttur urenti. Sunt, qui *Tlaltetzmitl* vocent, etsi longè absit a Sedi speciebus.

CAPUT XXXV.

De POPOZOTON, *seu Herba spumae simili.*

Herbula est folia ferens Alsines, serrata, parvaque, et flores luteos, modicos. Lubrica est, et in frigidam temperiem inclinans, etsi amaritudinem nonnullam, et calorem videatur participare. Singultui infantium dicitur mederi. Nascitur *Tacapichtlae.*

CAPUT XXXVI.

De PINAHUIHUITZTLI, *seu Herba verecunda.*

Pinahuihuitztli, quam alii (quoniam inducat soporem

capiti imposita, aut quia tacta dormire videatur) *Cocochiatl* vocant. Frutex est quatuor dodrantes longus, folia fundens quadantenus falcata, per intervalla sena, ac manipulorum forma sibi invicem conjuncta, haud dissimilia illis *Thoixochitl*, stipites tenues, spiniferos, radicem surculosam, flores verò, fructumve forma erinaceis, primò viridibus, ac mox fulvis, racematim dependentibus persimiles. Amorem dicitur conciliare. Folia saporem raphani quadantenus referunt; frigida constat, siccaque, et adstringenti natura, necnon et glutinosa. Succus radicis medetur tertianis febribus, oculis et inflammatis, somnumque inducit: cortex verò ventris fluxibus. Hic est ille Frutex , cujus folia ad quemvis hominis , aërisve attactum contrahuntur, junguntur inter sese , atque marcescunt. Nascitur in calidis *Tepoztlanicis*, *Quauhtlani* quoque , et *Hueitlalpae*, et in collibus *Tacapichtlae*. Hanc eamdem esse existimo , aut ei congenerem, quam Hispani Philippicarum Insularum coloni *Plantam sentientem* vocant, de qua scribunt (verè, an falsò nescio) nonnulla, quae in hac proveniente praedictis in locis vera esse nequaquam experimur, velut est stipites rectos proferre pennae gallinaceae crassitudine, ex singulis radicibus denos, duodenosve, quorum unusquisque duodenis ornetur foliis divisis in quatuor ordines duarum unciarum inter se distantes intervallo; folia esse Lotho urbanae similia, flores cyaneos,

linguae similes passerinae, antequam hient, hiantes verò in terna dividi folia modica; adeo offendi attactu, flatuque hominum, ut attrectata digitis ultima foliorum serie moerorem quemdam praeseferat, atque soporem, statimque decidant reliqua folia manentibus solis superioribus, quae si rursus digito tangantur, pariter decidunt; quin stipitem, qua parte attrectetur, rumpi, ac in terram procidere nigrescente incisa parte, velut si igne fuisset combusta; quin si halitu hominis perfletur, totum procidere, ac rumpi, neque hoc evenire si ligno, baculove, aut aliter tangi contingat, sed sola humana manu, aut spiritu; insipidam esse, nec ulla ad medicos usus spectante pollere vi. Plantam etiam narrant nasci *Malavari*, quae similiter ad manus contactum contrahatur, foliis Polypodii, ac luteis floribus. Alii aliam apud *Peruinos*, quae etiam si tangatur, arescat, necnon in nostro Orbe, ac praecipuè apud Gades. Verùm, quae nos de *Pinahuiztli* scribimus, experimento cognovimus, multique alii indubitatum esse millies comperuere.

CAPUT XXXVII.

De PINAHUIZPATLI *Ytzocanensi.*

Arbuscula est radicibus innixa surculosis, longisque, e quibus profert stipites, et in eis folia Olivae, sed minora, fructum obrotundum, primò virentem, ac mox vergentem

in fulvum. Radix est ordine ferè quarto calida, siccaque, et nonnihil adstringens, crassarum partium, et amara. Urit guttur, semenque pellit retentum. Nascitur in collibus, ac declivibus eorum locis apud fervidas regiones, qualis est *Ytzocanensis*; an verò pertineat ad Phillyreae differentias, aliis esto judicium.

CAPUT XXXVIII.

De PARONYCHIA *pingui Quauhtepecensi.*

Caules mittit repentes per terram, valde exiles, et in eis folia rara, orbicularia, lentibus haud dissimilia, sed precipuè eis lapillis, quos *Sapinas* vulgus vocat. Frigida humentique natura constat. Nascitur apud *Quauhtepecenses.*

CAPUT XXXIX.

De PARONYCHIA, *seu Quimichpatli.*

Quimichpatli, seu *muris medicina*, folia profert rotunda, pinguiaque, cauliculis tenuibus, et parvis innascentia, flores verò piperi longo similes, sed tenuiores, ac breviores. Sunt qui vocent *Tequaniyel*, *pectus* ve *Leonis.* Saporis acris est, et quarto ordine calens. Propinatur contra satietatem, appetentiam sopitam, nimiam expuitionem, fastidium, et foetorem oris; nec desunt, qui ea utantur adversùs febres, seu quòd earum concoquat, pellatque causam, seu

quòd intermittentium febrium rigoribus adversetur. Provenit humectis in locis.

CAPUT XL.

De POZAHUALIZPATLI, *seu medicina tumorum.*

Species est Herbarum, quas vulgus a radicum forma Capillares vocat: radices enim agit capillorum instar, quibus innascitur, adhaeretque Arboribus, folia dodrantem longa, ac minimum digitum tantisper lata, vermiculata infernè, velut illa Polypodii, Phyllitisve, ad cujus species refertur; flore, et fructu caret. Frigida, et sicca, ut ceterae congeneres, constat natura, atque ita jus decocti ejus decem unciarum mensura quotidie potatum tumores praeter naturam totius corporis tollit. Nascitur *Copitlani.* Sunt, qui *Tentzontli* vocent.

CAPUT XLI.

De POZAHUALIZPATLI *Chimalhuacani Chalcensis.*

Multis insistit radicibus fibrarum instar, e quibus promit stipites duos prolixos dodrantes, folia Ranunculi, longa, sinuosaque, flores luteos juxta extremos stipites, et ramulos. Ad Ranunculi species videtur attinere, calidaque, et sicca ordine tertio constare natura. *Ocuitucenses*, apud quos nascitur, vocant eam *Zacatlepatli*, ajuntque putridis mederi ulceribus, et supervacaneam carnem exedere, ma-

turareque, et rumpere praeter naturam tumores, unde evenit illi primum nomen. Vidimus apud Mexicanos aliam Plantam huic forma similem, sed amplioribus foliis, et colore tinctis exsaturatiore, et viribus inferiorem; cujus neque nomen, neque facultates adhuc mihi indigenae narraverunt.

CAPUT XLII.

De POZAHUALIZPATLI *tertia.*

Radices profert surculosas, et inde caules volubiles, et subalbescentes, ac refertos per intervalla floribus e candido inclinantibus in luteum, oblongisque, ac foliis Amygdali, aliquantò latioribus. Medetur frigori, dolori, ac praeter naturam tumoribus, quamcumque partem obsederint. Amara est, ac nonnihil calens. Nascitur in collibus, saxosisque locis calidarum regionum *Quauhtlanensium*.

CAPUT XLIII.

De PETZICATL, *seu Herba laevis seminis.*

Ubique nascitur, et edulis est, folia ferens Limonis, fibratam radicem, ac flores toto caulium discursu pilosos, prodeuntesque circa foliorum exortum, rotundos, ternos, quaternosve, et fulvi coloris.

CAPUT XLIV.

De PEZOPATLI, *seu medicina Pezotl.*

Congener videtur *Tepopol*, de qua paulò ante sumus locuti; radici innixa fibratae, e qua proferuntur caules geniculis intercepti, et in eis folia Mori, serrata, verùm minora, floresque in summis cauliculis terni, et candentes. Calida, siccaque ordine tertio constat natura, ac tenuibus partibus. Jus decocti radicum infusum medetur satietati. Nascitur montosis locis *Papaloticpacensibus*.

CAPUT XLV.

De PAHOA, *seu Arbore Pahuatlanensi.*

Arbor est magna, comataque, folia proferens lata, et firma, fructum verò mediocrium cucurbitarum magnitudine, ceteris *Ahoacatl* similem, eademque natura, sed copiosiore, et gratiore callo. Sunt inter Mexicenses, qui vocent *Ahoacatlhoei*.

CAPUL XLVI.

De POYOMATLI *Mecatlanensi.*

Musci formam praefert, et croci colorem, frigidamque, et humentem naturam, saporem verò, ac odorem nullum. Nascitur in saxis, et inde vitalem sibi exhaurit humorem. Confert patientibus defectionem, ac cordis dolorem sedat.

CAPUT XLVII.

De TLALPOYOMATLI.

Radicibus haeret tenuibus, et parvis, unde profert caules, et in eis folia longa, et angusta, Salviae similia, altera parte viridia, altera verò subalbescentia, minùs tamen lata. Nec quidquam adhuc de ea Herba memoria dignum accepi.

CAPUT XLVIII.

De POYOMAXOCHITL.

Radices, foliaque fert similia illis *Coatzontecoxochitl*, majora tamen, flores etiam similes, sed candidos, et pallentes circa extrema, neque dissimiles illis *Zacalloxochitl.* Radix frigefacit, humectatque, atque ita sapore, et odore insigni caret. Ad species *Coatzontecoxochitl* pertinere videtur. Nascitur in calidis *Xonotlae.*

CAPUT XLIX.

De PETZMA, seu manu laevi.

Radicem crassam, et fibratam fundit, et ex ea caules tenues, teretes, et purpureos, refertos longis, serratis, angustis, et Filici similibus foliis, et quadantenus avium pennas imitantibus. Vis est frigida, siccaque, atque adstringens; et ideo ad compescendas dysenterias radix in farinam reda-

cta ex aqua solet exhiberi. Flore caret, et ad Filicum genus videtur pertinere, quas imitatur forma, et viribus. Nascitur in calidis locis.

CAPUT L.

De PAPALOXIHUITL, *seu Herba Papilionis.*

Radici insistit fibratae, ex qua fundit caules purpurascentes, hispidos, cavos, quadratos, et nodis interstinctos, necnon cirrhis quibusdam juxta exortum ramorum, folia circa cuspidem velut abscissa, lunataque, aut falcata figura, obrotunda, tenuia, et mollia, similiaque alis Papilionum, unde invenit nomen. Radices, foliaque olent cucumeres, et eadem videntur quoque constare natura. Ulceribus medetur, labiorum inflammationem mitigat, et carnem superexcrescentem cohibet. Nascuntur initio folia inter sese cohaerentia, compactaque velut in vaginam, auricularum forma, ac tandem librorum modo panduntur. Nascitur *Quauhchinanci.* Est et alia Planta eadem nomenclatura ob florum figuram Papilionibus haud dissimilium, radice rotunda, fibrata, ceparum forma, unde prodeunt caules longi, tenues, et rubescentes, porraceis foliis, flore luteo, sed punctis rubris distincto, et qua diximus, forma, fructuque, ubi semen clauditur, oblongo. Narcissi, ut puto, species est; frigida enim, glutinosaque praeter jam dicta constat natura: floris tamen apud Indos solummodo est usus. Sunt qui vocent *Papaloxochitl.*

CAPUT LI.

De PAPALOQUAHUITL, seu Arbore Papilionis.

Arbuscula est stipites fundens subalbidos, et hirsutos inferna parte, flores in summis caulibus in umbellam compositos, oblongos, pilosos, et pallentes, et folia Mali Medicae, sed obrotundiora, minoraque, et inferna parte obducta lanugine, et subalbida. Folia redacta in farinam medentur recentibus plagis, eorumque lanugo sanguinis fluxum coërcet. Nascitur in montibus frigidarum regionum *Atlapulci*. Folia sunt odora gustu, adstringentiaque, necnon exsiccantia, atque calefacientia.

CAPUT LII.

De altera PAPALOQUAHUITL.

Offendi apud *Atataccenses*, et *Ocuitucenses* Fruticem angulosis, vitigineisve foliis, similibus illis *Tetzapatli*, sed odoris, luteisque, et comantibus floribus. Calida constat, siccaque natura, et subtilibus partibus.

CAPUT LIII.

De PHELLANDRIO Tetzcoquano.

Herba est Phellandrio Pliniano omnino similis forma, sed odore gravi, nonnihil amaro, calidaque, et sicca or-

dine secundo temperie. Nascitur in montibus *Tetzcoquanis*, unde fecimus illi cognomen ; nec quidquam aliud memoria dignum de ea ab incolis accepimus ; quamobrem non curavimus depingendam.

CAPUT LIV.

De PARADISEA *Tetzcoquana.*

Frutex est hominis altitudine , undiquaque exspansus, foliis Olivae , supernè viridibus , infernè verò subalbescentibus, unde inditum est nomen , patrio enim erat destituta , est siquidem hac in re Arbori , quam nostri paradisi vocant , persimilis , Plinius verò , ut quidam conjiciunt , Barbam jovis. Caules sunt teretes , laevesque , folia bina per intervalla, aliis duobus longè minoribus ab eodem nodo exorientibus. Sapor est adstringens ; frigidaque , et sicca temperies. Nascitur *Tetzcoqui* , unde cognomen. Ad species *Michpatli* videtur pertinere.

CAPUT LV.

De POZOLXOCHITL , *seu Flore decocti Mayzii.*

Volubilis genus est Mali Medicae foliis , sed mollioribus, flore ex albo rubescente , e quinque mucronatis foliolis concinnato , luteoque umbilico , ac pediculis longis , quibus appensus , et coacervatus efficit comam. Nascitur imbrium tempore juxta montes *Tetzcocanos*.

CAPUT LVI.

De POZOLXOCHITL *Ocoitucensi.*

Vidimus apud *Ocoitucenses* Herbam ab indigenis Pozolxochitl vocatam, foetidam, et de qua nihil accepi, quod spectet ad Medicinam, sed floribus extra cyaneis, intra verò luteis, orbicularibusque, et ciceris magnitudine, racematim dependentibus insignem; quorum gratia ejus duximus meminisse.

CAPUT LVII.

De POZOLXIHUITL, *seu Herba Mayzii decocti.*

Radicibus insistit surculosis, et intus candentibus, unde profert caules, et in eis folia infernè hirsuta, et subalbescentia, et flores candentes. Insigni sapore, et odore caret, frigidaque, humida, et aliquantisper glutinosa natura praedita est. Pulvis foliorum medetur ulceribus antiquis. Nascitur in calidis, campestribusque *Tohalanicis.*

CAPUT LVIII.

De PEPETLACHIQUIHUITL.

Pepetlachiquihuitl, quam alii *Tlacozazalic* vocant, Arbor est candida, inconditaque, foliis asperis, Ocymo similibus, sed majoribus, infernè subalbescentibus, hispidis, pinguibus, et serratis. Tingit aquam, ubi radix ejus aliquandiu

maduerit , rubeo colore , sistitque dysenterias , frigefacit, siccatque , et adstringit , non sine quadam amaritudine , rubea est , et paululùm glutinosa. Sunt , qui vocent *Pepetlachiquiuhytzin.* Nascitur in calidis *Mayanalani* , ubi affirmant mederi punctis illitam ex aqua , sed maximo decepti errore, ut quibus persuasum sit ad curationem ejus morbi attinere, ei vix caeptae naturae vacuationi statim obsistere.

CAPUT LIX.

De PEPETLACHIQUIHUITL *altera.*

Radici innititur fibratae PEPETLACHIQUIHUITL *altera* , quam alii etiam *Tlacozazalic* vocant , unde caules prodeunt , et in eis folia crenata , obrotunda , et Ocymi magnitudine , flores in summis caulibus lutei , ac velut coacervati. Radices sunt odoratae gustu , acres , calidaeque , et siccae tertio ferè ordine , resinosae , glutinosaeque. Diarrhoeas cohibent , aliaque praestant auxilia congruentia praedictae temperiei , quae recensere modò non est opus.

CAPUT LX.

De PACOXIHUITL.

Radicem fundit lignosam , folia Amygdali , florem candentem , et fructum acinis similem. Herba est paululùm amara , et secundo calefaciens ordine. Folia tusa , ac resoluta ex

aqua dimidii pugilli mensura, epotaque enixarum ventrem dolentium torminibus medetur. Nascitur *Mayanalani.*

CAPUT LXI.

De PURPUREA *Herba.*

Offendi non procul ab Aetna Mexicana, monte nempe praecelso, horrenda fumi nubila interdum evomente, et ab indigenis vocato *Popocatepetl*, seu *monte fumante*, Herbam quamdam edulem, Lactucae foliis, sed majoribus, facie altera purpurascentibus, quali etiam colore est radix, caulesque, unde indidimus illi nomen, gustu odoram, et nonnihil amaram, calidamque, et siccam tertio ferè ordine, ex qua temperie ceteras facultates liceat venari.

CAPUT LXII.

De PIAZTLACOTL *Tacapichtlensi.*

Herba est radicibus insistens fibris similibus, e quibus fundit caules teretes, fulvos, medulla lenta plenos, ac quinque cubitos longos, et in eis folia vitiginea, serrata, flores in summis caulibus candentes, et in umbellam compositos. Calida est, siccaque ordine quarto, gustu acris, et partium tenuium cum quadam lubricitate. Lenit pectus admota emplastri more, et haec est facultas, quam ex Indorum narratione intellexi, etsi permultas alias, easdemque salu-

ti conferentissimas quivis ex praedictis facilè conjiciat. Nascitur saxosis locis, collibusque calidarum regionum. Adeoque similis est Herbae, quam ego Asarum *Mechoacanicum* voco, *Mechoacanenses* verò *Curìtzeti*, seu *auram*, a foliorum, quam habet cum pedibus ejus avis, similitudine, ut eadem, aut illi saltem congener judicari possit; cujus gratia ejus descriptionem fortassis non incommodè illa sequetur.

CAPUT LXIII.

De ASARO *Mechoacanico, seu Curìtzeti.*

Libuit vocare Asarum *Mechoacanicum* hanc Herbam, quam *Mechoacanenses Curìtzeti* vocant, alii verò *Aphátzipuntzumeti*, aut *Aphátzisirangua*, seu *odorum oculum* ob foliorum figuram, et prolixarum radicum odorem impensè suavem. Cubitalis est, radices multas, tenuesque, et fibris similes fundens, Hellebori albi persimiles, caules laeves, lentos, teretes, ac graciles, folia tenuia, mediocria, et vitigineis proxima, sinuosa, serrataque, supernè virentia, ac squallentia infernè, flores luteos, exiles, et comantes, unde generatur semen fuscum, et quamminimum. Radix, quae sola (quod adhuc noverim) in medicamenta venit, calida est, et sicca ordine tertio, et partium subtilium, suavissimo moschi odore, ac sapore acri. Pulvis ejus ex aqua, vino, Buglossive, aut Melissoboti succo devoratus sex obolorum

pondere iliacos dolores sanat, cor roborat, ventriculum calefacit, ac frigore imbecillem confirmat, coctionem procurat, viscerum temperiem frigidam tollit, satietati medetur, obstructiones aperit, lapides, et quidquid renum, vesicaeque obstruit meatus, emundat; menstrua, urinamque provocat, utero confert, venenatis potionibus adversatur, flatum discutit, ac vires restaurat. Jus decocti, succusve idem praestat, necnon pulvis addito melle, aut saccharo in confectiones, quas linctaria vocant, conformatus. Quin radix hujus Herbae adjuncta *Zazamacae* aequalibus ponderibus drachmae unius humores crassos, et lentos vacuat, flatum generantes, et gallicam luem efficientes. Nascitur in frigidis, ac montosis provinciae *Mechoacanensis*, dignissima ob jucundissimum radicum odorem, quem, cùm primùm naribus admoventur, spirant, ut transferatur ad Hispanos, adeoque ad reliquas Orbis plagas paulò gelidiores. Ajunt indigenae febribus magnopere adversari, quod evenire poterit aut rigoribus sedatis, aut pulsis aliqua parte humoribus. Sunt, qui *Tzipahtziti*, et *Tiripeti* vocent.

CAPUT LXIV.

De altera PIAZTLACOTL *Quauhquechullae.*

Radicibus insistit surculosis, unde funduntur caules, et in eis folia vocatae *Tenamaznanapaloae* similia, minora tamen,

magis acuminata, serrataque. Frigida est radix, et dysenterias, ut ferunt, mirè coërcet.

CAPUT LXV.

De POCHOTL, *seu Tlatlauhqui.*

Arbor est fuscos stipites proferens, folia Ocymi, flores candentes, et foliis longis, et angustis concinnatos, prodeuntibus e calyculis oblongis, glandibus haud disparibus, quae folia sunt circa finem similia filis bombycinis, pulli coloris. Succus radicis utilis est febrientibus, frigida enim constat natura, humidaque. Nascitur in calidis *Iztotolani.*

CAPUT LXVI.

De PAPÁYA.

Arbor est mediocris magnitudinis, foliis magnis, ficulneis, multis cuspidibus insignibus, fructu oblongo, magnoque, gustus quibusdam grati, sed parùm commendati nutrimenti. Hic lacte manat, antequam maturescat, impetigini, ac lichenibus utili, succoque, qui jam maturi dolorem ventris sedet. Nascitur ea Arbos apud *Haitinam* Insulam, ubi est longè frequentior, etsi eam offenderim quoque apud *Yauhtepecenses*, ubi eam curavimus describendam, atque depingendam.

CAPUT LXVII.

De POPOTLI, *seu scopis.*

Species est Gnaphalii, peregrina, flore candente, spicato, et in pappos demum abeunte. Herba est hirsuta tota, utilis diarrhoeis, ulceribusque. Frigida, atque salivosa constans natura, et nonnihil adstringenti. Provenit juxta Aetnam.

CAPUT LXVIII.

De PACXOCHITL *Tanguitlanensi.*

Radices profert breves, fibratasque, et minimi digiti crassitudine, unde profert caules, et in eis folia Salicis, longa, et angusta, floresque coccineos, et modicos. Radices sunt amarae, nonnihil acres, et glutinosae, dicunturque mederi tenesmo, atque defluxionibus alvi a frigore ortis, si tritae, et resolutae ex aqua quatuor drachmarum pondere bibantur. Calida constat, siccaque ordine tertio natura. Nascitur in frigidis collibus, planisque locis *Mistecae* superioris. Eadem videtur, aut congener *Totoncaxihuitl* fibratae. Provenit etiam *Tepexici*, ubi *Cacalaxochitl* vocant, ajuntque trium drachmarum pondere devoratam, aut infusam inflationi ventris mederi, et evocare sudorem.

CAPUT LXIX.

De PACAMOTLI.

Radicem fundit Herba haec transversam, pilosamque, fibratam, et ignis fomiti similem, unde profert caulem unicum, et unico ornatum folio, alterum verò, quo florem, binos prolixum dodrantes: folium est infernè hirsutum, subalbidumque, et Verbasco simile, spithamae amplitudine, et quadantenus *Ezmaitl*, Ficusve formam referens, flores virentes, in comam compositi, oblongique, et vasculorum figura. Initio dulcis sentitur, et ambaris odore, deinde verò amara, et nonnihil urens guttur, calidaque ordine tertio. Ajunt illitam febribus mederi; verùm qui id fieri possit, alii judicent. Nascitur in collibus frigidis, et juxta fluminum ripas, et loca coenosa provinciae *Tanguitlanensis.*

CAPUT LXX.

De POZTEQUIZPATLI *Tepozculullensi.*

Radicem agit crassiusculam, et brevem, folia verò Alsines, longiuscula, angusta, subalbida, hispidaque, et multis distincta interveniis, flores candentes, et parvos, Octobri erumpentes. Radix est frigida, sicca, et adstringens. Jus decocti ejus confert contusis casu, ictuve membris. Nascitur in frigidis locis, sive edita sint, sive humilia.

CAPUT LXXI.

De POZAHUALIZPATLI *Tepuzculullae.*

Radicem fundit rotundam, candentem, succo plenam, membrana involutam, translucidam, et nucis parvae magnitudine, unde oriuntur caules duos dodrantes prolixi, teretesque, et in eis Cynosorchis folia, ac semen suprema parte pallens, longiusculumque, velut Foeniculi, aut Ferulae. Radix est amara, lubricaque, et sapit pepones amaros. Tumoribus praeter naturam dicitur mederi scarificatis applicata radix. Nascitur in frigidis, humidisque, et campestribus locis.

CAPUT LXXII.

De altera POZAHUALIZPATLI *Tepuzculullae.*

Caules fundit quatuor dodrantes longos, et in eis folia Leguminis, subalbida, parva, et hirsuta, ac flores parvos, purpureosque, et in spicas compositos. Radix laevigata, et semunciae pondere epota medetur ictericis. Dulcis est, ac secundo ordine, cùm plurimùm, calida. Nascitur in frigidis *Tepuzculullae Mistecae* superioris.

CAPUT LXXIII.

De tertia POZAHUALIZPATLI *Mistecae superioris.*

Radicibus adhaeret capillis similibus, unde profert caules teretes, et in eis folia Tragorigani, serrata. Frigida, et humenti temperie constat, et sapore ferè nullo. Medetur tumoribus praeter naturam illita, unde nomen; syncopi verò folia resoluta ex aqua, et potata ex succo *Metl* semunciae pondere. Nascitur in calidis *Mistecae* superioris juxta fluviorum humentia loca.

CAPUT LXXIV.

De PITAHAYA *Tepexicensi.*

Radicem fert obrotundam, renis suilli figura, ex qua profert caules striatos, spiniferos per intervalla, teretes, et tenues, et in eis Tunae flores, ad cujus species referenda est. Radix, quae succo affluit, arenosa est, et odoris insignis expers. Ajunt mederi inflationi ventris infusam, hydropique: sed qui id fiat, nisi proprietate quadam, nescio.

CAPUT LXXV.

De PINAHUIZPATLI *Tepexicensi, seu erubescente medicina.*

Frutex est rutaceis constans foliis, quaternis, quinisve per intervalla, floribus coccineis, stellatis, radice prolixa,

digitalis crassitudinis, fulvi, suberneique corticis: quam redactam in farinam, ac semunciae devoratam pondere ajunt expurgare corpus, appetentiam semimortuam restituere, ulceribus morbi gallici, et surditati devoratam mederi. Temperato videtur pollere calore, exsiccantique, et adstringenti natura; quamobrem vacuare opus est aut proprietate quadam, aut compressione. Nascitur in calidis, temperatisve *Tilanci* locis juxta colles, et acclivia eorum loca. *Citlaltepecenses*, apud quos etiam nascitur, *Ahuaton* vocant; nec desunt, qui *Nacazpatli*.

CAPUT LXXVI.

De POZAHUIZPATLI *quarta Mistecae superioris.*

Herbula est volubilis, folia ferens Aristolochiae longae, cujus videtur species, et flores purpureos. Calida, siccaque constat natura, et nonnihil acri. Maturat, discutitque praeter naturam tumores tusa, atque applicata; ajuntque *Mechoacanenses*, apud quos nascitur, diarrhoeis mederi. Nascitur temperatis locis juxta flumina.

CAPUT LXXVII.

De POZAHUIZPATLI *quinta Mistecae superioris.*

Curat et hujus radix tumores, qui praeter naturam sunt, furunculosque bibita unciae unius pondere, aut applicata, ac

dolores sedat; frigida enim, humidaque constat natura, et insipido sapore; profert verò caules teretes, brevesque, et in eis obrotunda folia, terna, et Loto urbanae similia, ac parva, floresque modicos, et coccineos. Provenit apud superiorem *Mistecam* in calidis, et humentibus fluminum ripis.

CAPUT LXXVIII.

De PALANCAPATLI *Mistecae superioris.*

Radicem profert crassam, longamque, et sensim gracilescentem, unde profert ramos multos, tenues, teretesque, et in eis folia multa, et exilia. Ajunt lac ejus, quod quarto gradu calefacit, uritque, mederi lichenibus, et antiquis ulceribus opitulari, necnon eruptionibus gallica infectis lue. Radicem jam arescentem degustavi, et quamquam amara sit, tanti caloris sensum non est visa praebere. Nascitur in collibus frigidis *Mistecae* superioris.

CAPUT LXXIX.

De POZTECPATLI *Huaxacensi.*

Radices profert Herba haec fibris tenuibus similes, et ex eis caules lignosos, et fuscos, refertos foliolis Rutae candidis, pusillis, convolutis, ac Arborum erumpentibus gemmis similibus, quae toto anno servat. Nasturtium indistincta similitudine sapiunt caules, et folia; calidaque, et sicca

ordine quarto natura constant. Eadem tusa , et drachmae unius mensura devorata succurrunt nervis, tendinibusque aut resolutis , aut convulsis, modò a frigida, humidaque evenerit causa , ac amissum restituunt motum ; quod est permultis cognitum experimentis. Nascitur saxosis locis, et asperis montium fragminibus regionis *Huaxacensis.*

CAPUT LXXX.

De POZTECPATLI *Tlilancensi.*

Herba est insistens radici extra viridi, sed alba tectae membrana, intra verò candenti, cucurbitae parvae simili, frigidaeque , et humentis naturae non sine quadam lancinatione, unde profert caules volubiles, tenuesque , et in eis Vitis albae folia cum quibusdam capreolis , et florem, aut fructum nullum. Radix resoluta ex aqua, instillataque aurium morbis e calore profectis confert. Nascitur in frigidis , planisque, et humectis agri *Tlilancensis* locis.

CAPUT LXXXI.

De POZONALPATLI *Tlilancensi.*

Radici insistit fibratae, unde profert caules tenues , teretesque, subalbidos, et hirsutos, et in his folia Origani, serrata, et cyaneum florem. Frigida, siccaque videtur radix constare natura. Medetur syncopi , et ventriculi calori suc-

cus foliorum aquae immistus, et semunciae mensura epotatus. Nascitur in frigidis quibusque locis agri *Tlilancensis*, qui est *Mistecae* superioris.

CAPUT LXXXII.

De PALXOCHITL *Tlilancensi.*

Radici innititur fibratae, et inde fundit caules quatuor spithamas longos, teretes, laevesque, et ornatos foliis per intervalla binis, longis, angustis, et Olivae similibus, quamquam minoribus, non sine quibusdam aliis parvulis, et ab eodem exortu prodeuntibus, coccineosque, et longos flores. Radix est amara, calidaque, et sicca ordine tertio. Duarum drachmarum pondere ex aqua resoluta, atque devorata convulsioni, atque resolutioni nervorum fert opem, et amissum motum restituit. Nascitur in frigidis quibusque locis regionis *Tlilancensis*.

CAPUT LXXXIII.

De PIPILOLXOCHITL, *seu Flore pendenti.*

Herba est radicibus adhaerens fibrarum instar, unde prodeunt caules rubei, ornati foliis longis, et angustis, sed obrotundis circa exortum, et per intervalla binis, ac floribus ab ipsa foliorum origine nascentibus utrinque quaternis, oblongorum vasculorum figura, coccineisque, et toto caulis procursu comantibus. Floris tantùm ajunt praestare usum,

alteramque esse *Xicoxochitl* differentiam, de qua suo loco dicetur; sed ab ea distare videtur colore florum, qui illis cyaneus est.

CAPUT LXXXIV.

De PHACAN.

Herba est radici insistens fibratae, e qua eduntur caules volubiles, tenuesque, et in postremis ramorum flagellis terna folia Phaseolorum figura. Brassicae odore constat, et sapore amaro, subdulcique. Jus decocti ejus exhibetur enixis eventu miro. Nascitur in calidis, planisque *Huacanae* locis.

CAPUT LXXXV.

De PUSTENGUA.

Herbula est crassiuscula, brevique firmata radice, ex qua oriuntur caules rubei, et in eis folia oblonga, parvaque, et Majoranae similia; quorum pulvis ulceribus dicitur mederi. Nascitur in frigidis *Pazcuàri.*

CAPUT LXXXVI.

De PAMERI.

Pameri, seu *medicina sedans dolorem*, Herba est radici insistens surculosae, ex qua prodeunt caules, et in eis folia Lini, per intervalla quaterna, longiuscula, et angusta, et in postremis ramis flosculi lutei, et in purpureum desinentes

colorem, spiniferique. Succus radicis dicitur mederi inflammatis oculis. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LXXXVII.

De PHUGUEGUENI, *aut Phuengueni, seu Ferula concava.*

Radicem mittit raphano similem forma, atque magnitudine, ex qua quaterni, quinive caules prodeunt, quinque prolixi cubitos, spiniferique, ac folia terna, Mari forma, et magnitudine ferè similia. Tusa radix, quae frigida est, saporisque, et odoris expers, repellit praeter naturam tumores. Nascitur in temperatis *Tacambari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LXXXVIII.

De PEPONIBUS *Peruinis.*

Nascitur apud Peruinos Peponum genus, quod adhuc patrium servat nomen apud Novos Hispanos, ad quos jamdiu translatum est, foliis Limonis, sed tamen majoribus, stellatis flosculis, circa umbilicum luteis, ac circumcirca purpurascentibus, unde generatur fructus Peponibus nostratibus similis, laevis, rubescens, minor, et utrinque magis acuminatus, molli callo, succo pleno, herbosi coloris, peponis sapore, sed minus grato, frigidaque, velut et nostri, et humida temperie. Vidi eam plantam apud *Quauhnahuacenses*, ubi illam curavi depingendam.

CAPUT LXXXIX.

De PARADISEA Herba.

Ita libuit vocare hanc Herbam, quod folia ferat Avis, quam eodem nomine nuncupant, plumis similia in hispidis, fulvisque caulibus, a radicibus ortis fibrarum instar. Amarissima est, calidaque, et sicca ordine tertio. Medetur pectori, lumbricos necat, flatum discutit, curat satietatem, ac reserat obstructa. Nascitur inter *Chocandiranum*, et *Atapanum* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XC.

De PICIELPATLI.

Fibratis insistit radicibus, unde procedunt folia aspera, serrata, obrotunda, hispida, et infernè subalbida, et *Txtomio*, ni breviora, latiora, et obrotundiora essent, haud dissimilia, Anchusaeve. Amara est, et calidae naturae. Tusa, et emplastri modo capiti applicata dolorem ejus, et hemicraniam sedat. Nascitur in calidis collibus, humidisque, et flore dicitur carere.

CAPUT XCI.

De PALANCAPATLI Tototepecensi.

Arbor est folia ferens magna, cordis figura, supernè virentia, infernè verò lanuginosa, et subalbida, ac flores modicos, candentes, et surculosam radicem. Liquor e praefractis, concissisve germinibus stillans medetur vetustis plagis.

Radix crasso cortice tegitur, qui Stoechada olet, et resinosus est, ac tandem amarus, calentique, et sicca tertio ordine temperie. *Ezpatli* similis est, aut prorsus eadem; nam et sanguinem stipitum incisuris adhaerescentem conspeximus; quamobrem hujus folium *Ezpatli* imagini jam dudum depictae adjiciendum curavimus, ac praeterea nihil.

CAPUT XCII.

De altera PALANCAPATLI *Tototepecensi.*

Volubilis est radices surculosas fundens, unde ascendunt stipites, qui convolvuntur Arboribus, et in eis folia Mali Medicae, sed aliquantò minora, flores verò candidi, et modici. Plagis vetustis medentur folia conversa in pulverem, conspersaque; frigida enim sunt, et adstringentia. Nascitur in calidis juxta rivos.

CAPUT XCIII.

De QUAUHNOCHTLI, *seu Teonochtli, quam Pitacharam Haitini vocant.*

Species videtur *Tunae*, Arboribus innascens, saxisque, radicibus fibrarum instar, caulibus pinguibus, trigonis, et spinosis, *Tunae* floribus per caulium intervalla, ac fructu pugni plùs minùs amplitudine, pineae forma, sed squamis longioribus, ex albo rubescentibus, et crasso cortice, intus coc-

cineo: callus est candens, refertus granulis sinapinis, dulcis non sine quodam acore, et succo manans, sed gustu non admodum grato, frigidaque, et humida natura. Nascitur in regionibus calidis, et humentibus locis hujus Novae Hispaniae, adeoque juxta littora Occeani.

CAPUT XCIV.

De POZAHUALIZPATLI *Tualapensi.*

Herba est caules mittens lentos, geniculatos, teretes, et palmitum forma, foliisque ornatos ocyminis. Sapit corianum, calidaque, et sicca tertio ferè ordine natura constat, et subtilibus partibus. Ventri tumenti, et quibuscumque aliis tumoribus tusa medetur, atque applicata. Nascitur in calidis, et saxosis locis, montiumque fragminibus regionis *Tualapensis.*

CAPUT XCV.

De POZAHUALIZPATLI *Tualapensi secunda.*

Arbor est nascens in calidis, planisque, aut editis locis, folia ferens Mali Medicae, subnigra, et flores ex albo rubescentes. Cortex stipitis adstringens, calidusque, et siccus est: quamobrem tumores ventris curat, et diarrhoeis appositus medetur.

CAPUT XCVI.

De PALANCAPATLI *Tgualapensi.*

Arbor est folia Mali Medicae ferens, sed infirmiora, et

flores albos. Frigida, siccaque natura constat, et nonnihil adstringenti. Cortex radicum inspersus medetur ulceribus antiquis, unde nomen. Nascitur in calidis montibus, ac fluminum ripis.

CAPUT XCVII.

De POZAHUALIZPATLI *Tualapensi tertia.*

Arbor est spites mittens subfulvos, ac Mali Medicae folia, quina. Amara nonnihil est, et calidae maturae; jus decocti foliorum, et corticis tumores praeter naturam discutit. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT XCVIII.

De POZAHUALIZPATLI *Tualapensi quinta.*

Herba est radicis fibratae, unde fundit caules tenues, et in eis folia rara, Ocymi, sed tamen minora, et flores e candido in luteum vergentes, spondylis similes. Acris est, calidaque, et sicca ordine quarto. Discutit, maturatque, et extergit parvos tumores, et furunculos. Nascitur in calidis, planisque *Tualapensis* regionis locis. Alia missa est ad nos, cùm Mexici ageremus, Herba *Curupenariqua* patrio nomine nuncupata, eadem prorsus forma, cujus liquorem instillatum mirè ajunt morbis oculorum calidis conferre, seu quòd Indi sentiant calida medicamenta morbis oculorum etiam calidis subvenire, sive quia licèt forma similis sit, natura tamen, et viribus est dissimilis; cujus rei ego modò nequeo proferre sententiam.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS SEXTUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De QUILPOCÓLLI, seu Herba, quae Indici Frumenti more ad alendas Indicas Gallinas decoquitur.

Multos Quilpocólli ab una radice magna, et fibrata profert ramos, sarmentosos, et flocciferos, folia cordis figura, sed hirsuta, mollia, alteraque ex parte albicantia, altera verò rubescentia ex viridi, foliola praeterea alia ex ipso majori foliorum exortu per totos fere ramos prodeuntia, ac flores racematim dependentes, et margaritiferos. Folia sicca, et adstringenti temperie praedita sunt non sine quodam calore; trita folia, radixque, et in laevorem redacta, ac in-

spersa ulcerum putrescentem absumunt carnem, extergunt, et cicatrice obducunt. Nascitur in montibus, ac planis calidarum regionum, qualis est *Quauhnahuacensis.*

CAPUT II.

De QUAUHYACOZAUHQUI, *seu Ligno cuspidis luteae.*

Herba est magna, surculosis insistens radicibus, unde profert caules subalbidos, teretes, et in eis folia Mori, sed tamen majora, pinguia, et similia Verbasco, subalbidaque, et flores pallentes, et modicos. Frigefacit, et humectat, ac febrem illita exstinguit. Nascitur in calidis *Yacapichtlae* locis.

CAPUT III.

De QUAUHCHIPÍLLIN *Chietlae*, *seu Siliquis sonantibus.*

Herba est folia ferens longa, et angusta, Leguminum foliis haud dissimilia, necnon flores, siliquasque. Nec quidquam de ea narrari audivi, quod sit memoratu dignum.

CAPUT IV.

De QUAUHTLATLATZIN, *seu Arbore crepitante.*

Arbor est magna, foliis Mori, longè tamen amplioribus, et serratis per ambitum, multisque distinctis intervеniis, fulvo stipite, fructu orbiculari, ex utraque tamen parte compresso, ac melopeponis instar striato, includenteque

intra se duodecim, aut ampliùs nucleos, candidos, orbiculares, argenteo denario, aut verticillis, quibus fusa torquentur, forma, atque magnitudine similes; ex his terni, detracta quadam interiori, ac media membranula, quae solet inducere anxietatem, sesquidrachmam pendentes, humores omnes per superna, atque inferna, sed praecipuè pituitam, ac bilim detrahunt: securum, et felicis succesus medicamentum, mediocriter calidum, et morbis a frigore ortis convenientissimum. Torrefiunt ergo mediocriter, resolvuntur ex aqua, atque ita matutino epotantur. Est in hoc fructu mirabile, quod cum jam maturuit, striis aliquot crepantibus dehiscit, rumpiturque tanto impetu, ac sonitu, ut veluti tormento quopiam bellico jactatum quamlongissimè evolet. Nascitur in calidis locis, quibus est admodum familiaris.

CAPUT V.

De TECAMACTLATLATZIN, *seu Planta crepitante in ore.*

Radices fundit Helleboro similes, internè candentes, semen in vasculis triticeis granis similibus contentum, caules quaternos dodrantes longos, quadratos, ac tenues, oblonga folia, ac flores partim luteos, ac partim ex albo rubescentes. Dulcis est radix, glutinosa, ac temperati caloris, aut paululùm frigida. Jus decocti ipsius contusae infusum medetur dysentericis, ulceribusque. Provenit verò *Tlaquiltenanci.*

CAPUT VI.

De QUAXOXOUHQUI, *seu capite virenti.*

Herba est prolixa, spectabilis ob flores purpureos, quos edit coacervatos in comas, orbiculares, et pilosos; folia fert Marrubii, ac radices fibrarum instar. Flores, foliaque odorem gravem spirant, quae aspera sunt. Radix est calefaciens, atque exsiccans ordine secundo, odoraque. Nascitur *Ocuilae.*

CAPUT VII.

De QUAUHYCHTLI *Xantetelcensi.*

Quauhychtli, *seu Planta Metl filis abundans*, Arbuscula est virore exsaturato tincta, et lenta referta medulla, foliis vitigineis, minoribus tamen, et sinuosis, floribus luteis coacervatis in comam, ac triangulari fructu. Liquor ejus est visui clarificando, et sedando oculorum dolori, curandaeque inflammationi, et argematis discutiendis mirabilis. Frigida, siccaque, et glutinosa constat natura, et sapore insigni nullo. Nascitur in calidis *Xantetelci* juxta aquarum fluenta. Id verò nomen sortita est, quoniam quacumque parte frangantur ejus stipites, fila apparent gossypinis similia.

CAPUT VIII.

De QUAUHYYAUHTLI Chietlae.

Arbor est procera, flores fundens similes amygdalinis, et folia frigida natura constantia, et repellentia inflammationes.

CAPUT IX.

De QUAUHALAHOAC, seu Planta humore abundante.

Frutex est folia ferens Urticae, majora tamen, amaro sapore, calidaque, et sicca natura.

CAPUT X.

De QUIMICHTLACOTL, seu virga muris.

Radicibus insistit fibris similibus, unde proferuntur caules, et in eis Urticae nostratis folia, et flores *Yauhtlini*, ex albo rubescentes. Acris est, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Succus radicis interficit animalia, quae subeunt aures, alvum cohibet, ac vetustis ulceribus fert opem. Calidiora videntur radice folia.

CAPUT XI.

De QUIMICHTLACOTL altera.

Radices mittit surculosas, caules sex dodrantes longos, folia angusta, et prolixa, ac florem in summo candentem,

pilosum, et abeuntem in pappos. Cortex est amarus, calidusque, et siccus ordine ferè tertio, qui semunciae pondere devoratus appetentiam excitat, initio dulcis est, et Leguminis saporem praeferens, sed procedente tempore sentitur amarus, quo fit, ut febrem exstinguere nequeat, quòd ajunt Indi Medici, nisi aut redundantibus humoribus alicunde vacuatis, aut cocta causa morbum faciente, aut pulsis intermittentium rigoribus, et harum fortassis rerum, eventuumque gratia, genus hoc Medicorum amuson, et imperitum dicere consuevit, medicamenta calidae temperiei evocato calore febres refrigerare, et exstinguere. Nascitur *Tlaquiltenanci.*

CAPUT XII.

De QUIMICHTLACOTL tertia.

Crassam fundit, et fibratam radicem, caules laeves, teretes, cinereos, plenos lenta medulla, et nonnihil purpureos, folia Origani, parva, hirsuta, serrata, et odora, quae decocta, et in emplastri formam redacta os coxendicis luxatum restituunt, et in propriam sedem reducunt. Lethifera habetur his, quae in eam incidunt, animalibus.

CAPUT XIII.

De QUIMICHQUILITL, seu murium Olere.

Herba est valde virens, foliis Pyri, mollioribus, flori-

bus parvis, ex albo rubescentibus, fructu coccineo, rotundo, parvo, odore gravi, frigidaque, et humida temperie, et febres illita curans. Nascitur in calidis *Ytzocani.*

CAPUT XIV.

De QUAUHXITOMATL, *seu Xitomatl montano.*

Occurrit nobis apud *Atattacenses* Arbos quaedam Mali Medicae foliis, serratis tamen, fructu rotundo, olearum jam maturescentium purpurearumque colore, et forma, cui tamen nullam vim medicam inesse comperi.

CAPUT XV.

De QUAUHZACAPOLLIN, *seu pabulo convoluto montis.*

Folia spargit parva, serrata, longiuscula, et angusta, surculosam radicem, longam, et tenuem. Frigida constat, et lubrica natura, ideoque febrientibus medetur. Nascitur in frigidis *Atattaci.*

CAPUT XVI.

De QUEQUEXQUIC *glutinosa, seu mordente medicina.*

Radici insistit Raphani, frigidae, humidae, atque glutinosae, unde profert caules volubiles, dodrantem prolixos, teretes, tenuesque, folia sagittarum mucronibus similia, mollia, pinguiaque, infernè candicantia, modicosque, et cocci-

neos flores. Radix tusa, ac resoluta ex aqua propinatur adversùs febres, sputum sanguinis, et diarrhoeas. Nascitur *Chiauhtlae Tetzcoquensis*, ubi illam curavimus depingendam.

CAPUT XVII.

De QUEQUEXQUIC.

Herbula est binos dodrantes longa, caules ferens fulvos, ac tenues, folia Origani, serrata tamen, ac minora, flores coccineos, et longiusculos. Frigida, et humida est, et paululùm lubrica. Ustionibus confert; nasciturque *Ocopetlayucae.*

CAPUT XVIII.

De QUEQHEXQUICPATLI, *seu mordaci medicina.*

Radici insistit Raphani, candidae, teneraeque, sed longè crassiori, ex qua fundit caules dodrantales, tenues, et aliquantisper purpurascentes, folia angusta, et longa, ac fructum dactylorum figura in suprema caulium parte, refertum semine fulvo, qui per maturitatem in partes ternas divisus hiat. Radix insipida est, lubrica, et pertinens ad temperiem, aut ad nonnullum frigus cum humiditate conjunctum: verùm partes sortitur quasdam tenues, pilorum modo lancinantes, unde nomen. Propinant Indi Medici radicem tusam, ac resolutam ex aqua enixis, ut membra interna corroborentur, solidenturque, ac passis lassitudinem: quin eamdem

tusam apponunt dorso, coxisque, eisdem in balneum aëreum ducendis, quod genus medicamenti est illis frequentissimum. Nascitur in frigidis, ac planis locis.

CAPUT XIX.

De XIUHQUILITLPITZAHOAC, *seu de Anir tenuifolia, vel de Olere herbaceo.*

Radicem unicam, surculosam fundit Xiuhquilitl *Herba*, e qua multi prodeunt stipites recti, sex cubitos longi, ac minimum digitum crassi, coloris cinerei, teretes, atque laeves, folia rara, similia Ciceris foliis, flores parvi, ex albo rubescentes, et siliquae acervatim appensae cauli, ascaridibus crassiusculis, vermiculisve similes, plenae semine nigro. Amara nonnihil est, et legumina quadantenus resipiens, acris, calidaque, et sicca secundo ordine natura. Pulvis ejus antiqua ulcera sanat, abluta tamen priùs urina: quo fit, ut *Palancapatli* a multis vocetur. Dolorem, et calorem ingentem capitum puerorum folia contusa, admotaque dicuntur exstinguere, resolutave ex aqua, atque illita; caeruleum fit ex eisdem pigmentum, nuncupatum ab Indis *Tlacehoili*, *Mohuitlive*, tinguntque capillos atro colore. Nascitur sponte sua in calidis regionibus campestribus, montosisque locis; et quamquam in Herbarum genus referatur, duos tamen annos virens, vivaxque persistit. Parandi pigmen-

ti, quod Latini caeruleum vocant, Mexicani verò *Mohuitli*, et *Tlacehuilli*, hic est modus: folia incisa in ahenum, cortinamve ferventis aquae, sed jam ab igne sepositae, tepentisque, aut meliùs (ut ejus rei affirmant periti) frigescentis, neque ignem expertae conjiciuntur: concutiuntur vehementer ructris, ac paulatim aqua infecta trasfunditur in testam, aut dolium, et tandem per foramina paulò sublimiora effuso humore, quidquid e foliis decessit, permittitur residere. Faex illa pigmentum est; siccatur id sole, et sacco cannabino percolatur, mox efformantur parvae rotulae, quae patinis superpositis carbonibus solidantur, ut recondi tandem queant in annuos usus. Seri quoque apud Hispanos integrum esset, calidioribus nempe regionibus, qualis est Baetica, aut aliae ex his, quas alluit mare, seu campestribus, seu montosis locis, in areas latè pulvinatas sparso semine illius Lactucae more, mense quidem Januario, si clemens sit, aut calidum caelum, solumque udum, atque irriguum; sin minùs, Septembri, Octobrive, et tempestivè in liberiores campos, sicut ipsae quoque parvae Lactucae solent, digesto atque transposito, sarritis tamen novellis plantis, vindicatisque a noxiarum herbarum tyrannide, quoties illae nimiùm lasciviere, et tandem evulsis, et accommodatis usui.

CAPUT XX.

De XIUHQUILITLPATLAHOAC, *seu Anìr latifolia.*

Est et alia eodem nomine Planta, quae caeruleo quoque tingit colore, feminarumque denigrat capillos, magnitudine tamen, et forma a praedicta diversa: Frutex siquidem est mediocris magnitudinis, multis insistens radicibus, surculosis, fibratisque, unde plures prodeunt caules cinerei, folia Piperis longi, aliquantò majora, nerveisque discursibus secundùm eorum longitudinem discurrentibus, et flores capillacei candentes. Frigida, et humida constat natura. Parandi pigmenti modus est utrique idem, sed deterior hujus tinctura, atque ideo de satu nihil.

CAPUT XXI.

De QUAUHCIMATL, *seu Cimatl montana.*

Volubilis est radicis magnae, crassaeque, et ex albo rubescentis, ex qua fundit caules subcinereos, squallidosve, folia Ulmi, purpureos flores, Leguminum ferè forma, e quibus fiunt siliquae. Radix in pulverem redacta, et carnibus inspersa leones, canesque necat, aliaque hujusmodi et pecori, et hominibus nocua animalia, quae in hac Nova Hispania passim in agris, et nemoribus versantur. Provenit in calidis *Yacapichtlae* juxta colles, et saxosa loca.

CAPUT XXII.

De QUAUHTOCCIMATL, *seu sude Cimatl.*

Invenimus aliam *Cimatl* speciem in agro *Tepoztlanensi*, cujus radix edulis erat, folia oblonga, et obtusa, ac siliquae parvae, adeo similis *Cimatl*, ut qui eam viderunt, eamdem prorsus esse et forma, et viribus judicaverint.

CAPUT XXIII.

De QUAUHTZICTLI, *seu Arbore Aspalthi.*

Visci species est frigidae, siccaeque, adstringentis, atque glutinosae naturae. Nascitur in Malis Medicis, aliisque Arboribus, fructum ferens olivarum et forma, et magnitudine similem, sed minorem, et oblongum, aut pineis nucibus parem, ac racematim dependentem, folia verò Limonis. Nascitur in calidis regionibus abundanter, et convolvitur Arboribus.

CAPUT XXIV.

De QUAUHXONEQUILIN, *seu Arbore pedis contorti.*

Arbos est magna, folia Mali Medicae ferens, minora tamen, et albidiora, binaque, e binis duobus aliis exorientibus, pennatoque utrinque ramo quodam velut folliculo; quo fit, ut cruciatim omnia videantur inesse: siliquas etiam producit octo uncias longas, ac latas, quaternas, edules,

et quadam refertas lanugine. Cortices, foliave in pulverem redacta ustionibus conferunt.

CAPUT XXV.

De QUAUHXONEQUILIN secunda.

Folia fert Amygdali, sed magna ex parte majora, fructum virentibus amygdalis persimilem, sed orbicularem, et intra se semen includentem, viridemque, et rubeo quodam callo inclusum. Frigida Herba est, atque sicca, et sapore ferè nullo; quamquam nucleus nonnihil amaritudinis praeseferat: quo fit, ut Indi Medici affirment illitum frigori mirum in modum obsistere. Nascitur *Tauhtepeci*.

CAPUT XXVI.

De XONEQUILPATLI.

Frutex est radicibus insistens surculosis, e quibus edit caules fulvos, et in eis folia Salicis, sed tamen minora, et angustiora, flores pallentes, parvos, calyculorum figura. Calida natura tertio gradu constat, sicca, et adstringenti, atque urenti guttur, quamquam initio dulcis appareat, Glycyrrhizae sapore, et nullum paene sensum caloris praebens. Epota folia, tusa, ac resoluta ex aqua semunciae mensura articulorum dolores, et quosvis alios a causa frigida ortos mitigant, et eos, qui oriuntur ex tensione, sudores eliciunt,

nervos imbecilles corroborant, et omnibus paene morbis contendunt mederi, qui a frigida causa sint orti. Fortassis idem est cum *Macuilpatli.*

CAPUT XXVII.

De QUAUHCHIPÍLLIN, *seu Chipilli montana.*

Arbor est magna, foliis Amygdali, frigidis, ac glutinosis, floribus parvis, ac candentibus. Tumores praeter naturam dicitur applicata repellere.

CAPUT XXVIII

De QUAUHTCHCATIC *Tacapichtlensi, seu Arbore Gossypii.*

Arbor est parva, amygdalinis foliis, flore amazonicae peltae persimili, parvoque (ubi clauditur semen), et ex albo purpurascente. Saporis insignis expers est, frigidaque, et humida natura; atque ita folia incendio conferunt exstinguendo.

CAPUT XXIX.

De QUAUHCHIQUILICHIN, *seu Ligno Cicadae.*

Radicem fundit Raphani, obrotunda folia, hirsuta, mediocria, rara, et subalbida, caules teretes, quatuor dodrantes longos, luteum florem, et mediocris magnitudinis, siliquas quoque teretes, ac mediocres. Sapit, oletque Legumen, frigefacit, ac nonnihil adstringit. Succus instillatus me-

detur inflammatis oculis. Illud est huic Plantae insigne, atque peculiare, gustatam moschi demum gratissimum relinquere odorem. Est et alia Planta eodem nomine, quam offendimus apud *Acatlicpacenses*, frigida, sicca, atque adstringenti natura constantem, foliis obtusis, oblongisque, siliquis verò locatis velut inter duo folia, quam etiam referunt oculis inflamatis, aut perturbatis mederi, cohibere alvum, repellere inflammationes, ac sedare febres.

CAPUT XXX.

De QUAUHXONACATL, seu Cepe montana.

Frutex est id nominis sortitus, quoniam ut primum naribus admovetur, aut gustatur, alliorum, ceparumve odorem spirat. Stipites autem fundit fuscos e radice longa, tenui, et fibrata, Limonis folia, sed majora, et florem rubescentem. Calida ordine secundo natura constat, atque ita referunt illita folia frigus pellere, cuicumque loco sese insinuaverit, laxareque contracta membra, si jure eorumdem decocti calentis abluantur. Provenit calidis *Tlalquiltenanci.*

CAPUT XXXI.

De XONACATL, seu Ceparum quodam genere.

Ceparum est species, radice bifida, et mitiore nostratibus natura: cetera paene similis.

CAPUT XXXII.

De XOXONACATIC, *seu Planta Cepis simili.*

Radix est parva, atque surculosa, unde prodeunt caules, et in eis folia Ceparum, sed longè tenuiora, unde nomen; flores in postrema caulium parte ex albo purpurascentes, et oblongi. Floris tantùm, quod adhuc compererim, usum praebet.

CAPUT XXXIII.

De altera XOXONACATIC.

Herba est orbiculari insistens radici, succo mananti, nucis ponticae magnitudine, opertae quibusdam nigris capillamentis, unde proferuntur folia Ceparum foliis similia, verùm breviora, et angustiora, flosculique longi, et lutei, pediculis exilibus appendentes. Binae radices tusae, atque ex aqua devoratae, omnes humores purgant per inferna citra ullam auxietatem, laboremve ullum. Leve, et securum est pharmacum, lenisque operae, ut quod exhiberi soleat senibus, ac natu minoribus, febrientibus, ac febre vacantibus, jacentibus in lecto, et solita obeuntibus munia, seu virens, seu sicca, sed frequentiùs, et commodiùs sicca. Servatur verò recondita duos, ac, si opus sit, tres integros annos. Adversatur astmati eodem pondere. Calida enim ordine secun-

do natura constat, lubricaque, et guttur nonnihil urens est. Nascitur in frigidis, humectisque locis imbrium tempore.

CAPUT XXXIV.

De QUAUHXOCHITL, seu Arbore florida.

Arbor est magna, angustis foliis, ac dodrantem longis, floribus luteis, longis, ac jucundis visu, siliquis teretibus, mediocribus, ac lanuginoso refertis semine. Sapore, et odore insigni caret, nec quidquam audio de ea memorabile narrari. Describitur tamen ob faciem egregiam, atque jucundum conspectum, velut et aliae permultae, quoties nobis occurrere; neque enim mens est medicamenta tantùm enarrare, sed sylvam, historiamque rerum Naturalium hujus Orbis coacervare, atque contexere, et sub conterraneorum nostrorum, ac praecipuè Philippi Maximi oculos, quidquid in hac nova Hispania emicat, ponere.

CAPUT XXXV.

De QUAUHZAHOATL, seu Arbore saniosa.

Nomen sumsit a foliis quadam velut scabie infectis. Arbor est magna, frequentissima calidis locis, ramos fundens virides, ac rotundos, folia Mali Medicae, minora tamen, et granulis quibusdam, ut dictum est, referta, florem magnum, albumque in corymbos compositum, et visu pul-

chrum, similem quadantenus hyosciamino. Frigida, humentique natura constat, et montosis gaudet, calidis, aridisque.

CAPUT XXXVI.

De QUAUHZOZOLLIN, *seu Arbore Coturnicis.*

Arbor est magna, foliis firmis, mollibus, et amplis, infernè hirsutis, et subalbidis, ac fulvis distinctis interveniis. Frigida, adstringentique constat temperie. Cortex tritus, illitusque febres exstinguit: laevigatus verò, et inspersus curat ulcera. Nascitur in calidis *Temimiltzinci*, et *Ocpayocani.*

CAPUT XXXVII.

De QUAUHTEZONQUILITL, *seu Olere aspero Arboris.*

Arbor est magna, foliis trifidis, stipitibus lenta refertis medulla, similibus illis *Tezonquilitl*, unde sumsit nomen, fructu a nucibus virentibus forma, et sapore parùm distante, initio viridi, ac deinde pallescenti, continentique intra se amygdalum quoddam cum nucleo interdum simplici, interdum verò duplici, dulci, et sapore amygdalis ipsis persimili, oleagina natura, frigida, atque glutinosa. Flos est luteus, modicus, ac vocatae Naphae persimilis: cortex est etiam frigidus, et humens. Hunc ajunt tritum, atque inspersum plagis recentibus, et antiquis mirum in modum opitulari, sib is per singulos dies applicetur. Idem cum foliis

mammarum tumores jam ruptos, et pus vomentes extergit, et curat, opitulaturque inflammationibus, et ad idem ipsa folia efformata in placentulas mandi solent. Nascitur in planis *Xiuhtepecensibus.*

CAPUT XXXVIII.

De TEZONQUILITL.

Herba est similis *Ytzticpatli* temperie, usu, et totius paene Plantae figura, sed foliis quinis, et his ipsis utrinque sinuosis, et radice tenuiore. Nascitur in calidis *Ytzocanis* juxta crepidines, ac saxosa loca.

CAPUT XXXIX.

De TEZONPATLI, *seu medicina simili Tezontli lapidi.*

Radici innititur pyri forma, atque magnitudine, aut paulò ampliore, duritie et colore in rubeum vergenti *Tezontli* lapidem imitante, a quo sumsit nomen. Solet autem haec pendere ab alia tenui, longaque, et simili funiculo, a qua prodeunt caules terni, quaternive, laeves, rotundi, geniculis intercepti, anserina penna paulò crassiores, ac referti per intervalla foliis longis, pinguibusque, et circinatis, interdum verò variis crenati modis, multis distinctis interveniis, ac dorso purpureo. Fructus est similis siliquastro Indico, semine refertus plano, orbiculari, parvo ac pediculis

appendenti. Radix est amara, gravis odoris, calidaque, et sicca ordine tertio natura; quae obstructiones dicitur aperire, strumis mederi, et putrida ulcera curare, conferre colicae, tussi, satietati, expurgandis intestinis, ac flatui discutiendo, si ex vino trium drachmarum mensura, duarumve fuerit devorata. Folia lacte manant, quod impositum discutit furunculos. Offenditur et alia hujus Herbae species ſimili radice, et caulibus, sed foliis mollioribus, latioribusque, et minùs numeroso discursu nervorum, infernè hirsutis, ac laevibus supernè, lac etiam stillans, amaroque sapore, et simili temperie. Nascitur montosis *Acolmani* locis.

CAPUT XL.

De TEZONXIHUITL, *seu Herba simili lapidi Tezontli.*

Radici crassae insistit, fibrataeque, unde profert caules serpentes per terram, et in eis folia rara, firma, aspera, mediocria, ac cordis figura. Jus decocti ejus instillatum aurium dolorem levat. Nascitur in frigidis, ac saxosis locis *Taxcallae*, reconditurque radix in annuos usus.

CAPUT XLI.

De TEZONTICTLANOQUILONI, *seu Herba purgante, simili Tezonpatli.*

Herba est duas spithamas longa, caulem proferens al-

bicantem, laevem, et cavum, folia oblonga, serrata, et aspera, et obrotundam radicem, magnam, ac similem *Tezonpatli*, unde nomen, fructum verò *Tlallayotli*, aut siliquastro Indico similem. Radix est amara, urensque guttur, calida, et sicca ordine tertio. Eadem tusa, atque ex aqua devorata trium drachmarum pondere per superna bilim expurgat, et securum pharmacum habetur. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT XLII.

De QUAUHTLACHICHINOA, seu Ligno semiusto.

Caulem fundit quadratum, serrata, et oblonga folia, et flores spicatos, et purpureos. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, et humenti natura constat; atque ita jus decocti corticum radicis febres, si sorbeatur, curat. Nascitur apud *Quauhnahuacenses* juxta montium fragmina uda, humentiaque.

CAPUT XLIII.

De altera QUAUHTLACHICHINOA.

Frutex est foliis constans oblongis, asperis, et unguentum olentibus. Frigidae est naturae, ac gingivis nimio humore tumentibus utilis.

CAPUT XLIV.

De QUAUHTLACHICHINOA *tertia.*

Frutex est foliis Ocymi, circinatis, aut Mali Punici, ornantibus caulem hirsutum, atque subalbidum. Radix Chondrillam nostratem sapore refert, quae frigida paululùm est. Folia quoque frigida sunt, etsi nonnihil amara. Medetur eruptionibus capitum puerorum. Nascitur apud *Ytzocanenses.*

CAPUT XLV.

De QUAUHAHOAYACATL, *seu Ligno aquae odoro.*

Arbor est magna, folia obrotunda ferens, ac juxta pediculum oblonga, caules cinereos, et siliquas mediocris magnitudinis. Balneo decocti foliorum ejus febres sanari solent. Nascitur in montibus *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT XLVI.

De QUAUHTEZOATL, *seu Tezhoatl montana.*

Arbor est magna, foliis Limonis, minutim tamen serratis, et floribus, stipitibus, ac foliorum interveniis rubescentibus. Cortex radicum duarum drachmarum mensura laevigatus, ac bibitus omnes humores per superna, atque inferna securè dicitur expurgare. Idem coccinei pigmenti usum praestat decoctus donec rubescat aqua, est enim tenax, va-

sisque fictilibus, et dealbatis parietibus pertinaciùs adhaerens.

CAPUT XLVII.

De TEZHOATL, *seu Planta aspera.*

Arbor est Persici magnitudine, ramis sarmentosis, ac lanugine quadam obductis, foliis paene Mali Medicae magnitudine, sed magis acuminatis, supernè virentibus, infernè verò impensè candentibus, lanuginosis, ac nerveis discursibus secundùm longitudinen procedentibus praeter alios exiliores, qui ad latera inclinant, floribus cyaneis, forma, et magnitudine vocatae Naphae similibus, ex quo fructus ceraci acidi magnitudine, cyanei quoque, et edules. Aqua, in quam folia tusa macerata aliquandiu sint, oculis morbidis, atque inflammatis medetur, et leucomati; frigida enim sunt, sicca, acida, et nonnihil adstringentia, Rhusque obsoniorum resipientia, atque adsimilantia. Vermiculos verò coccineo tingentes colore, et *Tunarum* cuidam generi adhaerescentes praeparat, ac perficit. Nascitur *Mactlactlani.* Audio aliam offendi *Ectlactlani* Arborem eadem ferè vi, sed forma aliquantulùm distantem, quam ideo ad me non curavi perferendam.

CAPUT XLVIII.

De altera TEZHOATL.

Folia fert Unedonis, pinguia, ac nullis distincta venis.

Medetur ulceribus, nasciturque apud Aetnam Mexicanam.

CAPUT XLIX.

De TEZHOAXOCHITL, *seu Flore Tezhoatl.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, Unedonisve, serratis tamen, floribus ex albo rubescentibus, Mali Medicae forma, ramis, stipitibusque ex fusco purpurascentibus, pediculis quoque, et interveniis purpureis, fructu parvo, rubroque, et prunis simili, esui apto, acido, atque adstringenti, qualia sunt etiam folia. Succus corticum inflammatis oculis medetur. Nascitur montosis, ac temperatis *Ocuituci* locis, ac floret Augusto.

CAPUT L.

De TLALTEZHOATL.

TLALTEZHOATL Herba est per terram repens, radicibus surculosis insistens, ac folia Origani circinata proferens, nerveis discursibus secundùm longitudinem insignia, cujus nullum adhuc usum accepi.

CAPUT LI.

De QUETZALPATLI, *seu pennata medicina.*

Ita vocant *Atlapulcenses* Linum nostras, ajuntque herbam ex aqua resolutam, atque devoratam egregiè sedare dolores.

CAPUT LII.

De QUAPATLI, seu medicina montana.

Quapatli, quam alii *Tlalpatli*, seu *humilem medicinam* vocant, alii verò *Ocpatli*, seu *vini medicamentum*, Frutex est fulvos stipites fundens ex surculosis radicibus, refertos foliis *Mizquitl*, parvis, et tenuibus, et siliquis mediocribus. Cortex est frigidus, siccus, et adstringens, non sine quadam subdulci amaritudine, ruberque, cujus decocti jus infusum dysenteriis medetur, praecipuè si *Chichicpatli* adjungatur; ipse cortex extergit quamoptimè dentes, firmatque, tussim sedat, carnem generat, additusque vino *Metl*, aut cuivis alio liquori, mirabiliter urinam ciet, quod quotidiano experimento comprobatur, inebriandique vim addit vino.

CAPUT LIII.

De QUAPATLI Herba.

Herba est humilis, folia Pruni ferens, sed majora, virore diluto tincta, circumcirca caulem. Jus decocti ejus capiti admotum fertur aurium sedare dolorem.

CAPUT LIV.

De QUETZALOCOXOCHITL, seu Flore Pinus pennato.

Volubilis est genus, purpureis caulibus, foliis *Ocoxo-*

chitl, sed tamen majoribus, atque acinis binis, ac parvis. Medetur febrientibus, et *Ocuilae* nascitur.

CAPUT LV.

De QUÉTZALPÓCHOTL, *seu Pochotl pennata.*

Herba est radici insistens raphani forma, unde profert caules quatuor dodrantes longos, folia saligna, subalbida, et hirsuta, flores *Cacaloxochitl* luteos. Frigida videtur constare, et glutinosa natura. Mista *Yohalxochitl*, et ventri apposita, stomachoque dolorem lenire dicitur a satietate ortum. Nascitur in frigidis *Quauhtlae*. Sunt, qui *Tazoni* vocent.

CAPUT LVI.

De QUAUHTLACHPAHUAZTLI, *seu ligneis scopis.*

Arbos est parva, folia Cerasi ferens, ac fructum acinosum, principio viridem, mox coccineum, purpureumque, et tandem nigrum. Callus est modicus, atque is ipse adstringens, quadantenusque Peruinum vocatum *Molle* sapore referens, intra continens ossiculum candidum cum viridi nucleo. Sapor corticis Arboris valde adstringens est, et odorus, non sine quodam calore, roboransque laxa membra, atque debilia. Nascitur in montibus *Tepoztlanicis*.

CAPUT LVII.

De TLACHPAHOAZQUAHUITL, *seu arboreis scopis.*

Frutex est tres cubitos longus, foliis oblongis, hirsutis, infernè subalbidis, ac supernè virentibus, floribus candidis, et modicis, et fibrata radice. Jus decocti infusum membrorum palpitationi opitulatur; acris enim est, et calentis naturae.

CAPUT LVIII.

De TLACHPAHOAZPATLI, *seu scoparum medicina.*

Herba est duos dodrantes longa, radice sensim gracilescente, et fibrata, floribus in caulium procursu orbicularibus, et pallentibus, sed qui cùm hiant, in coccineum evariant colorem, et foliis serratis, Urticae aemulis. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, et lubrica constat natura, curandis recentibus, et vetustis plagis, si folia imponantur, idonea. Nascitur in calidis *Nexpae Totanacapensis* circa loca humentia, sive edita sint, sive plana.

CAPUT LIX.

De QUAUHCHICÁLLOTL, *seu montana Acantha.*

Species est Acanthae sylvestris, edulis, ad albae fortassis Spinae pertinens differentias. Propinatur ex aqua dissoluta ab Indis adversùs febres.

CAPUT LX.

De QUAUHTLAHOITZITZILXOCHITL, *seu Hoitzitzilxochitl montana.*

Herba est graviter odorata, Marrubii folia ferens, ac coccineos flores, unde nomen. Folia addita illis *Yztaccococtlacotl*, tusaque simul, et imposita furunculos, et pannos, necnon et strumas discutiunt. Nascitur umbrosis, ac montanis locis: *Yztaccococtlacotl* verò saxosis, frigidisque *Xalatlacensibus.*

CAPUT LXI.

De QUAUHTETZMITLXOCHITL, *seu Flore Sedi sylvestris.*

Arbor est foliis Sedi, unde nomen, senis per intervalla, septenisve, stipite rubro, floribus e pallido rubescentibus, per singulos foliorum exortus e longis pediculis dependentibus: quibus floribus jam arescentibus vascula apparent pyris mucronatis, parvisque similia, nigroque referta semine, quod permistum *Tetzoaxochitl*, tusumque ulceribus oris opitulatur, firmat dentes, dysentericis confert, discutit argemata, et lippis stillans liquor medetur. Odora est, resinosa, calida ordine tertio, et adstringenti natura. Septembri floret, ac frigidis saxosis, montosisque in locis, quale est *Tezontepec*, exsultare consuevit.

CAPUT LXII.

De QUAUHXOCHITL, *seu Flore montano.*

Frutex est quatuor spithamas longus, radice constans, ceteraque materie intus lutea, et extra fusca, caulibus multis, valde tenuibus, et scariosis, foliolis minimis, tenuibusque, et serratis, et flore parvo, atque pallenti. Calidus, ac siccus est, et odorus: curare tamen dicitur febres permistus *Tzopelicquahuitl.* Provenit editis locis regionum temperatarum, qualis est *Metztitlanica.*

CAPUT LXIII.

De QUAUHHOIHOÍTZOC, *seu lignea cuspide.*

Arbor est magna, Limonum foliis, edulibus acinis, ternis, quaternisve. Provenit in montium udis, humectisque locis.

CAPUT LXIV.

De QUAUHTÁTAMAL, *seu galla arborea.*

Arbor est magna, Praecoci foliis, fructu nigro, acinoso, edulique, ac grati alimenti. Provenit *Quauhchinanci.*

CAPUT LXV.

De QUAUHCHIQUÁTLI, *seu Noctua montana.*

Herba est cubitalis altitudinis, atque crassitudinis, fo-

liis oblongis, pinguibus, nonnihil hispidis, et infernè subalbidis, Ulmi ferè figura, fulvescentibus caulibus, foliisque ternis, calorem nimium sedare solitis.

CAPUT LXVI.

De QUAPEYOTL, *seu Ligno nitenti.*

Radices fundit similes glandibus, et ex eis multos caliculos, sesquidodrantem longos, laeves, ac tenues, folia rara, longa, et tenuia, luteam radicem, opertam nigra membrana, floresque cyaneos, et modicos. Frigida natura constat, unciaeque unius mensura febres dicitur exstinguere.

CAPUT LXVII.

De QUIQUIOTIC, *seu Planta germini simili.*

Quatuor, quinqueve radices fundit tenues, ac digitum longas, folia oblonga, spinifera, et serrata, caules purpureos, teretes, ac per intervalla geniculatos, et longos, folia rara, et in postremis ramis quosdam erinaceos obrotundos. Olet corianum, et calorem ordinis tertii praefert. Radix devorata unciae unius mensura opitulatur febrientibus, causa fortassis alicunde vacuata, aut frigidis, quae commiscentur, partibus.

CAPUT LXVIII.

De QUAUHNEUHXOCHITL, *seu Flore mellis Apum.*

Radices fundit *Coatzontecoxochitl*, caules, foliaque *Tlaolli* culmis similia, minora tamen, luteos flores, ac par-

vos. Frigida constat natura. Floris ejus est praecipuus usus. Nascitur in planis.

CAPUT LXIX.

De QUAUHTZTIXOCHITL, *seu Flore unguium Aquilae.*

Herba est radicibus insistens fibris similibus, ex quibus fundit caules tenues, quadratos, folia Ari, caeruleos flores, forma Eranthemi, tribus velut capillis exsertis unguium aquilarum similibus, unde sumsit nomen. Odor est gravis, calida temperies, et potissimus usus floris, qui Augusto menſe nitet.

CAPUT LXX.

De QUAUHVERÁMBENI, *seu glutinosa medicina.*

Herba est caules ferens quaternos cubitos longos, tenues, ac teretes, prodeuntes e radice surculosa, et folia rutaceis similia, ex utraque caulis parte disposita. Olet resinam. Jus decocti hujus Herbae, et alterius, quae *Aphátzipuntzúmeti* vocatur, scabiei, cruribus tumentibus maximè confert, ac dolores sedat; per se autem tusa recentibus opitulatur plagis, medeturque tumoribus praeter naturam etiam internis. Nascitur in frigidis *Chocandirani*, et *Tarequati* provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT LXXI.

De CUITZIQUIENDAS, *seu Planta Vulpeculae.*

Radicem fundit longam, et mediocriter crassam, fibra-

tam, et candentem, caules striatos, tenues, et sex dodrantes longos, folia Mali Medicae, tenuiora, et minora. Arbor est mediocris, cortex fuscus, lignum candens, cor, medullave purpurea, aptissima operibus intestinis, ex qua globuli precarii vocati fiunt. Olet, sapitque Nasturtium; quamobrem Nasturtium sylvestre eam vocant: sed graviùs olet, et Vulpeculam Indicam quadantenus imitatur odore, quod indicat nomen. Pituitae dicitur mederi, et capitis defluxionibus instillatus succus, aut pulvis infusus naribus, ac dolorem ejus tollere, dentiumque; illitis eo lumbis, dorsove ablegantur frigora. Nascitur in calidis, humidisque locis provinciae *Mechoacanensis*, et calida constat, siccaque ordine tertio natura.

CAPUT LXXII.

De QUAUHAMOXTLI, seu Musco Arborum.

Herba est Arboribus innascens, Quercubus praecipuè, locis saxosis, humidisque provenientibus. Propinatur duarum drachmarum pondere his, qui e loco excelso cecidere. Folia sunt praetenuia, nasciturque in temperatis *Tetzcoquensibus.*

CAPUT LXXIII.

De QUAUHMATLALIN, seu Ligno cyaneo.

Frutex est sex cubitos longus, stipites purpureos fundens, teretesque, folia Betonicae altilis, caules stipantia, flores

purpureos in procursu stipitum a medio ferè usque ad summum, vasculorum forma. Nascitur in campestribus *Tetzcoquanis*, nec quisquam de eo medicus narratur usus.

CAPUT LXXIV.

De QUALANCÁPATLI, seu irati hominis medicina.

Folia saligna profert, caules contortos, teretes, tenuesque. Propinantur folia tusa, atque resoluta ex aqua homini, qui ob iram, aut acceptam injuriam malè habet, unde nomen. Frigida est, humidaque, ac saporis, et odoris prope nullius. Nascitur *Hueitlalpae.*

CAPUT LXXV.

De QUAUHXIUHPEPETZIN, seu Arbore corticosa.

Arbor est stipitis cinerei, obrotundis foliis, ac flore, ut ajunt, nullo. Liquor germinum, qui lacti similis est, vetustis ulceribus medetur, cortice tamen contuso, ac desuper ter quotidie applicato; qui est odorus, calidus, siccusque, et adstringens. Provenit *Tepexicensi* solo.

CAPUT LXXVI.

De QUAUHPATÓLLE, seu Arbore tesserarum.

Arbor est foliis Sennae vocatae constans, obrotundis, et flore, ut narrant, candido, ac Phaseoli floribus simili, luteoque cortice. Hujus, foliorumque pulvis, qui frigidus est, siccus, et adstringens, nulliusque alterius saporis, medetur

vulneribus inspersus, aut ex aqua illitus. Nascitur temperatis locis *Tepexicensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXVII.

De QUEXILIHUIZPATLI, *seu bubonum medicina.*

Radicem fundit crassam, fibratamque, unde profert stipites volubiles, ac tenues, et in eis folia vitiginea, sed minora, capreolosque. Radix est calida, et sicca ordine circiter tertio, dulcis, et subamara. Ajunt pannos et discutere, et maturare. Nascitur in collibus calentium regionum *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXVIII.

De QUAUHTLAYEXOCHITL, *seu Texochitl montana.*

Herba est radicem agens longam, et crassam, et ex ea caules sesquidodrantem longos, ornatos foliis Ocymi, sed majoribus, et magis acuminatis, ac flore candenti, et magno. Cortex radicis semunciae pondere laevigatus, ac devoratus ex aqua bis die dolorem ventris sedat, et pectus emollit. Est enim acris, amaraque, necnon calida, et sicca ordine ferè quarto, ac pectoris valde amica. Nascitur in calidis collibus *Tonallae Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXIX.

De QUEQUEXQUICPATLI, *seu lancinante medicina.*

Radicem crassam fundit, Batatae vocatae similem, suc-

co manantem, teneramque, frigidam, salivosam, sed tamen nonnihil amaram, et lancinantem, unde nomen, ex qua profert caules teretes, ac tenues, repentes per terram, et in eis folia rara, Ocymi forma, sed rotundiora, et minimè serrata, ac flores coccineos, et modicos. Mederi ajunt ventris doloribus ortis a calore tusam, ac semunciae devoratam pondere bis die, permistis tamen aliquot *Tlaolli* granis. Nascitur juxta aquas, et loca humentia regionum frigidarum *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXX.

De altera QUEQUEXQUICPATLI *Mistecae inferioris.*

Radicem mittit digitalem, et prolixam, ex qua profert caules quatuor dodrantes longos, et in eis folia *Nextamalxochitl*, sed tamen minora, luteos flores, ac vascula utrinque oblonga, similiaque nucleis olearum, racematim dependentia, ac plena semine. Radix est mordax, amara, lubrica, et in calorem, quantùm conjectare possum, inclinans, et tamen febribus illitam inquiunt mederi. Nascitur in collibus frigidis *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXXI.

De QUEXILIHUIZPATLI *secunda, seu pannorum medicina.*

Radix est pollicari crassitudine, longaque, unde prodeunt caules spiniferi, et angulosi, et in eis folia Urticae, non minùs spinosa. Radix est frigida, atque humida, et ta-

men ajunt furunculos, aliosque praeter naturam tumores discutere, atque maturare; quod fortassis peragit natura, repellentis medicamenti auxilio. Nascitur in collibus frigidis *Tanguitlanensibus.*

CAPUT LXXXII.

De QUEQUEXQUICPATLI *Tanguitlanensi.*

Radicem fundit Herba haec rotundam, fibratam, et ex albo pallescentem, ex qua profert duos caules, quatuor dodrantes longos, fusco, et viridi colore variatos, quorum alteri folia appendent Mali Medicae forma, sed acuminata, exiliaque, et septena, nempe terna seorsim juxta medium, et alterutro latere bina, similia unico bifido: alteri flores haerent, quos candidos esse ajunt, fructusque orbiculares, et coccinei. Radix frigida est, atque humens, sed adeo linguam lancinans, ut vix quispiam gustare possit, et manans succo. Ajunt dolori capitis mederi, pituitaeque, et hemicraneae tusam, atque applicatam. Nascitur in saxis frigidarum regionum *Mistecae* superioris. Videtur autem ad Dracunculi species pertinere.

CAPUT LXXXIII.

De QUAUHTZONPATLI *Tepexicensi.*

Herba est folia Sennae, aut Coluteae fundens, ac luteos flores, modicosque. Frigefacere videtur, etsi nonnullam praeferat amaritudinem. Ajunt contritam, atque infusam tabidis

mederi, aut ex ejus succo podice octies, aut decies digito confricato. Nascitur in frigidis, aut temperatis collibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXXIV.

De QUEXIHUILIZPATLI *Tilancensi.*

Herba est nascens in frigidis collibus, sesquidodrantem longa, foliis Hederae, serratis, purpureis floribus, et surculosis radicibus; quae calidae sunt, et siccae gradu tertio, amaraeque, et acris saporis: atque ita pannos applicatae discutiunt, et si saniem concepere, hientque, extergunt, et sanant.

CAPUT LXXXV.

De QUITIHCUQUA.

Quitihcuqua, quae a refricando nomen habet apud *Mechoacanenses*, Herba est surculosae insistens radici, unde mittuntur caules tenues, et in eis folia Amygdali, sed breviora, binaque per intervalla caulis, a quorum exortu bini alii oriuntur ramuli, septenis magna ex parte ornati foliolis. Folia tusa, et applicata tumoribus praeter naturam dicuntur mederi. Nascitur in temperatis *Tacambari.*

CAPUT LXXXVI.

De QUAQUAUHTZIN.

Herba est radicem fundens longam, fibratam, et tenuem, ex qua procedunt caules, initio fusci, ac deinde ci-

nerei, ornati foliis Malvae, angulosis, per intervalla, et circa summum floribus comantibus, albis, pilosisque, et demum in pappos abeuntibus. Cujus adhuc nullam memoratu dignam facultatem accepi. Vocant verò Mexicani *Quaquauhtzin*, quam nos nuncupamus Arbusculam.

CAPUT LXXXVII

De QUAUHCACAOATL, *seu Nuce Iuglande Novae Hispaniae.*

Arbor est Iuglandi Nuci par forma, et magnitudine, verùm minori fructu, durioreque, extra laevi, intra verò firmioribus septis nucleum comprehendente, qui edulis est, ac nostrati persimilis. Nascitur apud *Quauhnahuacenses.* Est et alia Nucis Iuglandis species, fructum ferens majorem, intra, extraque inaequalem, minoremque, et inutiliorem nucleum continentem, quos omnes fructus pictos exhibemus.

CAPUT LXXXVIII.

De QUAUHZAHOATL *Herba.*

Radicem fundit Raphani, sed crassiorem, unde multos fundit caules, quatuor dodrantes longos, et Solani folia: flore, fructu, ac semine dicitur carere. Frigida est, febremque folia tusa, et illita corpori exstinguunt.

CAPUT LXXXIX.

De QUAUHAYOPÁLLI.

Frutex est sex cubitos plùs minùs longus, foliis Betonicae altilis, infirmioribus, et longis, floribus pulchris cyanei

coloris. Nascitur in agro *Tetzcoquensi*, sed nullam ejus facultatem insignem accepi, et ideo delineandam non curavi.

CAPUT XC.

De QUAUHTOLCOPETZIN.

Herba est radici insistens fibratae, unde prodeunt caules ornati per intervalla foliis Olivae, sed minoribus, ac tenuioribus, cum binis aliis minimis prodeuntibus a singulis majorum exortibus, ac floribus, ut ajunt, candidis. Radix adstringit, non sine quodam calore, et gustata olet florem vocatum *Eloxochitl*. Eadem medetur veteribus plagis laevigata, et bis diebus singulis inspersa, si priùs ulcera ex vino calido abluantur. Nascitur in collibus *Tepexicensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT XCI.

De QUEXILIHUIZPATLI, *seu bubonum medicina Thualapensi.*

Herbula est radici insistens obrotundae, unde profert folia Graminis, Juncive, ad cujus species fortasse pertinet, et luteos, ut ajunt, flores. Radix sicca est, ac nullius, quod perceperim, aut modici caloris: et tamen ajunt impositam pannorum saniem extergere, ac cicatrice vulnus obducere. Nascitur in montibus frigidis.

CAPUT XCII.

De QUAUHTLACIMATL *Thualapensi.*

Herba est radicis surculosae, unde profert caules volu-

biles, folia Hederae, et flores cyaneos. Adstringens est, frigidaque, aut moderati caloris. Semen retentum dicitur pellere radix drachmarum duarum mensura. Nascitur in calidis, ripisque fluminum.

CAPUT XCIII.

De QUAUHTLACAPOLIN.

Arbor est folia ferens Mali Medicae, sed latiora, et coccineos flores. Calida est ordine secundo. Cortex tritus, illitusque dolores a frigida causa, aut a morbo gallico ortos sedat. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT XCIV.

De QUAUHPINOLI *Thualapensi.*

Arbor est magna, littoris maris Australis alumna, folia bina per intervalla ferens, nonnihil falcata, et illis *Pinahuiztli* similia, sed longè majora, ac Mali Medicae foliis paene paria, siliquas verò teretes, praecrassi corticis, octo uncias longas, et porcorum infarctis intestinis paene pares latitudine, extra fulvas, et intra candentes, refertasque substantia quadam alba, molli, eduli, ac dulci, cui miscentur semina quaterna, ponticis nucibus majora, extra coccinea, et intra candentia, sed tamen durissima, et illa Casiae fistularis quadantenus assimilantia. Vescuntur interna medulla indigenae; nec est alius, quod intellexerim, praeterea usus.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS SEPTIMUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De TLACHITONTLONITLACOTL, *seu sude desultoria.*

Herba est quatuor dodrantes longa, crassa, et surculosa radice, pennato caule, ac foliis sectis per ambitum, scabris, ac Mali insani vocati forma, colore verò aliquantisper purpureo, amaro sapore, ac ordine secundo calenti, et sicca natura. Jus decocti ejus, et *Tzohuitzquahuitl* appetentiam excitat, flatumque dissipat.

CAPUT II.

De TEPETLACOXOCHITL *Ytztolucensi.*

Radices agit surculosas, et ex his teretes caules, sex cubitos prolixos, folia oblonga, serrata, subalbida, et flores in culmine coccineos, longos, calycum forma. Sapore, et odore insigni caret, nec usum quempiam ejus novisse ferunt Indi, praeterquam floris consueti addi in corollas, inservireque saltationibus, atque choreis, apud eos valde celebribus; quamobrem minimè delineandam curavimus.

CAPUT III.

De TLACOXOCHITL *origanina.*

Origaninam cognominare hanc Plantam venit in mentem, quo ab aliis *Tlacoxochitl* generibus distingui posset, folia siquidem habet Origano similia, scissaque per ambitum, paululò tamen majora, flores in postremis caulibus qui, purpurei sunt, oblongos, vasculis contentos, purpureos, et compositos in comam. Odora est etiam gustu, et crassa, fibrataque radice, ex quibus possit quispiam facultatem calentem conjectare. Ceterùm apud Indos floris est tantùm usus, addi soliti in corollas, atque florentes manipulos.

CAPUT IV.

De TLACOXOCHITL *Anenecuilcenſi.*

Tlacoxochitl *Anenecuilcenſis*, quam alii *Tlacoxihuitl* vocant, *Hoaxtepecenſes* verò *Tlacopatli*, folia fert ſaligna, ſubalbidaque, et e radicibus fibrarum inſtar caules fulvos, et in ſumma parte floſculos ex albo rubeſcentes, longiuſculos, et compoſitos in comam. Calida eſt, ſiccaque, et adſtringens facultas, atque ideo propinatur his, qui laſſitudinem patiuntur; corroborare enim eos, ac velut vivificare praedicatur. Quin radicum pulvis vetuſtis plagis dicitur egregiè mederi. Naſcitur in calidis, planiſque locis. Audio a mari Auſtrali *Anenecuilcum* ob remedii praeſtantiam fuiſſe allatam.

CAPUT V.

De TLACOXOCHITL *Tetzcoquana.*

Herba eſt dodrantalis, foliis Ocymi, flore candenti, parvo, a caule longo prodeunte, et radicibus tenuibus, ac modicis, quarum ſemunciam, ſi decoquas ex aqua, et jus decocti propines, ſedabis febrem. Naſcitur in planis *Tetzcoquenſibus.*

CAPUT VI.

De TLACOXIHOITL.

Frutex eſt flores ferens albos, in corymbos compoſitos,

vasculorum forma, ac folia Olivae, sed tamen minora, tertio ordine calens, et odorus. Est et alia Planta *Tlacoxochitl* vocata, fibrata radice, foliis praecedentis, ac floribus candidis, longisque, et stellatis juxta margines; cujus tamen nullum adhuc medicum usum accepi.

CAPUT VII.

De TLACOXOCHITL *coccinea.*

Ita libuit cognominare hanc Plantam ob coccineos, quos fert, flores, comantes circa postremos ramos, longiusculosque. Frutex est magnus, multos ab una radice caules fundens, fulvos, tenues, et lignosos, salignis foliis refertos, sed tamen aliquantò brevioribus, supernè virescentibus, et candescentibus infernè, floribus in postremis ramis rubeis, oblongis, et acervatim, ut dictum est, congestis. Floret Septembri. Calidis exsultat plagis juxta plana, et aquosa loca. Frigidae est, et exsiccantis naturae, impensèque adstringentis, et glutinosae. Radix medetur dysenteriis cum duodecim granis *Cacaoatl.* Est et *Yztactlacoxochitl* surculosis radicibus, virgis erectis plùs, minùs quinis, foliis Lini, per intervalla denis, longis, et angustis, et floribus in cacumine oblongis, comantibus, et candidis, unde nomen, quorum est tantùm usus.

CAPUT VIII.

De TLACOXOCHITL *Hoaxtepecensi.*

Tlacoxochitl *Hoaxtepecensis*, quam alii *Tecuaxochitl* vocant, Herbula est folia ferens trifida, radicem fibratam, et flores albos, ac modicos. Odorem gravem spirat; amara est, et calida, siccaque natura, quamobrem doloribus ortis a frigore mederi solet. Nascitur in calidis *Hoaxtepeci*, unde cognomen, montosis, et asperis locis. Sunt, qui succo ejus abluant febricitantium corpora; verùm quorsum id fiat, nescio, nisi evocandi humoris gratia, aut caloris nimii compescendi, aut rigoris intermittentium febrium; modicè enim videtur calida.

CAPUT IX.

De TLACOXOCHITL *Yacapichtlensi.*

Ita vocant *Yacapichtlenses* Herbam quamdam folia orbicularia sortitam, et flores in postremis caulibus cyaneos, ac Thymum redolentem; cujus gratia putavi describendam. Calorem quemdam videtur praeseferre cum siccitate, et adstringentia conjunctum.

CAPUT X.

De TLACOXOCHITL *Ocuitucensi.*

Frutex est folia ferens oblonga, et parùm lata, aspe-

raque, flores purpureos, calycibus contentos scariosis, Stoechadis capitulis similibus. Calida est ordine secundo, et aliquantulùm amara. Tumores praeter naturam dicitur discutere. Nascitur in faucibus montium humidis, et aquosis.

CAPUT XI.

De TLACOXOCHITL *florem Ayauhtonae ferente.*

Radices fundit fibris similes, et ex his caulem rectum, ramis utrinque prodeuntibus, refertis foliolis longis, et angustis, ac circa extrema cruciatis, ac floribus *Ayauhtonae* paene forma, et colore similibus. Floris usum praestat, nec quemquam alium adhuc accepi. Nascitur temperatis locis, qualis est ager Mexicanus.

CAPUT XII.

De TLACOXOCHITL *Yauhtlina.*

Radices fundit similes fibris, caules virentes, cubitales, teretes, tenues, laeves, junceos, et hispidos, folia serrata, longa, et angusta, salignis proxima, et nonnihil hirsuta, flores pilis rubescentibus similes, in calycibus scariosis, ac persimiles vocato a Dioscoride Cyano, in supremisque ramis comantes, et semen longiusculum, et nigrum. Radix trita, atque devorata trium drachmarum pondere frigefaciente, qua pollet, facultate dicitur febres exstinguere. Nasci-

tur in frigidis regionibus, ac montium locis acclivibus. Est et alia eodem nomine, et floribus, sed paulò majoribus, et latioribus foliis, venis secundùm longitudinem procurrentibus insignibus, radice verò longa, tenui, sensim gracilescente, et fibrata, ejusdem, ut conjicio, speciei; de qua nihil narrant Mexicani, apud quos nascitur.

CAPUT XIII.

De TLACOXOCHITL, *quam alii Tzontlatlauhqui, seu capillos rubeos vocant.*

Nomen secundum invenit a tenuitate, colore, et forma comantium in summis virgis florum. Folia sunt Lini, longiuscula, et angusta, terna, quaternave per caulis modica intervalla, ac fibrata radix, amara, calida, siccaque ordine tertio, et odora gustu. Jus decocti ejus medetur dysenteriis, et confert doloribus articulorum. Nascitur in frigidis collibus, atque convallibus.

CAPUT XIV.

De TLACOPATLI *Malinalcensi.*

Radicem fibratam fundit, et ex hac caules tenues, geniculatos, contortos, et volubiles, in eis verò folia cordis, scutorumve figura, parva tamen, ac fructum oblongum, ponticarum nucum ferè magnitudine. Calida est ordine tertio,

amara, odora, corroborantis facultatis, et acris saporis. Radix surditati medetur, frigus, et ex eo ortos dolores laevigata, ac resinae permista pellit: discutit praeter naturam tumores, et clarificat visum. Secta in globulos, atque circumdata collo resistit defluxionibus, frigora, horroresve febrium interpellatarum arcet, punctisque vacuatis, et discussis humoribus medetur, ossa perfracta, aut laxata resinae permista roborat, et instaurat, surditatem per se curat, et morbis opitulatur oculorum, flatum discutit, ac universim morbis frigidis paene omnibus auxilio est. Nascitur *Malinalci*, *Hoitzoci*, *Tlachmalacaci*, et aliis temperie similibus locis, velut *Teloapae*, ubi ajunt drachmae unius pondere devoratam radicem omnes humores, sed praecipuè atram bilem, et pituitam egregiè vacuare, atque ita spleneticis mederi; quod et nos experimento verum esse cognovimus. Videtur verò ad Aristolochiae longae species pertinere.

CAPUT XV.

De TLACOPATLI QUAUHTEPECENSI.

Radici insistit fibratae, candidaeque, unde profert caules ternos cubitos longos, et virentes, ac in eis folia Limonis, sed magis acuminata, asperaque, et flores candentes, illis Mali Medicae aemulos. Compressa, petritaque manibus odorem spirat Raphani foliis persimilem, et paululùm acri

sapore constat, ac calida natura. Jus decocti caulium, et foliorum epotatur adversùs flatum. Nascitur humectis collibus.

CAPUT XVI.

De TLACOPATLI Nexpensi.

Radicibus insistit minimum digitum crassis, surculosisque, unde oriuntur caules laeves, teretes, geniculati, ac ternos cubitos longi, et in eis folia Limoniae Mali. Jus decocti foliorum, aut liquor, ubi folia tusa aliquandiu maduerint, dolorem ventris mitigat, pulvis verò vetustis medetur plagis. Nascitur in calidis *Nexpae Tototepecensis* locis editis, atque campestribus. Constat verò temperato calore (qualia esse omnia paene medicamenta, quae dolorem sedant, Indi Medici putant) non sine quadam adstrictione.

CAPUT XVII.

De TLACOPATLI Quauhtotollanensi.

Radicem mittit surculosam, et ex ea caules quatuor dodrantum, teretes, hirsutos, laeves, tenuesque, folia Mori, majora tamen, oblongioraque, et profundiusculè serrata, flores luteos, capillatos, et in pappos demum abeuntes, quinos per intervalla. Jus decocti confert dysentericis, et passis nauseam excitat appetentiam. Radix enim gustu est valde odora, et acri sapore, non sine quadam amaritudine:

calida constat, et sicca ordine secundo, ampliùsve natura, ac subtilibus partibus: quamquam cujusdam quoque adstrictionis sit particeps. Provenit editis *Quauhtotollani* locis.

CAPUT XVIII.

De TLACOXIHUITL *secunda.*

Herba est radicibus fibrarum instar, foliis quadantenus Salviae similibus, ac coccineis floribus. Marrubium olet, nec quidquam adhuc aliud de hac Planta ex Indorum Medicorum enarratione cognovi.

CAPUT XIX.

De TLACOHUIHUILAN, *seu sude volubili.*

Frutex est stipites fundens sarmentosos, volubiles, unde habet cognomen, et in eis folia obrotunda, cordis paene figura, aspera, et crassiuscula, flores candidos in purpureum vergentes, atque in parvam aggeratos comam. Vis est frigida, siccaque, et adstringens. Nascitur juxta aediculam divae Mariae de Guadalupe non longè ab urbe Mexicana montosis, et humectis locis.

CAPUT XX.

De TLACOYACAQUILITL, *seu Olere cuspidis virgae.*

Frutex est quaternos prolixus cubitos, caules fulvos

proferens, teretesque, folia Origani, flores longos, luteos, et comantes. Folia sunt calida, siccaque tertio ferè ordine, acria, et odora: radix verò non adeo. Eduntur eadem, et adversùs febrium rigores exhibentur, adeoque contra ipsas febres, quibus fortassis conferunt vacuata alicunde causa morbi. Nascitur in collibus *Ocopetlayucae*.

CAPUT XXI.

De TLACOMIXTLI, *seu virga nimbosi coloris.*

Polii montani priori speciei prorsus est similis, sed canis, pilisve caret, nec sunt serrata folia. Frigida est, sicca atque adstringens. Sistit diarrhoeas, necnon fluxionem quamvis ortam a causa calida, sive ipsa Herba ex aqua devoretur, sive jus decocti, succusve bibatur. Nascitur in frigidis collibus Arborum expertibus. Servatur in eos usus toto anno radix. Poterit verò *Polium Tlaxcallense* non incommodè nuncupari.

CAPUT XXII.

De TLACOPOPOTL, *seu virgae scopis*

Vulgaris Herba est, et quae in scoparum usum venerit, unde contigit ei nomen. Aqua, in quam conjecta sit, atque aliquandiu macerata Herba ipsa, illiusve radix, dysenterias epotata curat.

CAPUT XXIII.

De TLACOTIC, *seu virga sudi simili.*

Radices fundit surculosas, et ex eis caules tenues, teretes, purpureos, et lignosos, folia exilia, parvaque, et flores in cacumine coccineos. Calida, siccaque ordine secundo constat natura, et subtilibus partibus. Sapor est initio dulcis, ac tandem amarus, et acris. Devoratur eliciendi sudoris gratia, atque ita (ut et ipsi Indi Medici testantur) opitulatur febribus; bibendi autem cortices sunt resoluti ex aqua pondere drachmarum quatuor. Nascitur in frigidis regionibus *Ocuilae*, montosis, et asperis locis.

CAPUT XXIV.

De TLATLACOTIC, *seu Tlacotl.*

Radice firmatur lignosa, candenti, et fibrata, Batatae quadantenus imitante formam, e qua fundit caules tenues, teretes, et lignosos, quatuor dodrantes prolixos, subrubeosque, folia longa, et angusta, haud dissimilia illis Coccognidii. Frigida constat temperie, et ideo lenit dolorem labiorum ortum a calore. Flores fert luteos, ac modicos, unde siliquae generantur. Nascitur montosis, ac frigentibus *Quauhchichinullae* locis.

CAPUT XXV.

De TLACOTLHUEI *Acocotlae.*

Frutex est vitiginea producens folia, sed magis hirsuta, quem, etsi nulla insigni facultate praeditum audivi, depingendum tamen ob naturalem enarrationem non omnino a ratione alienum putavi.

CAPUT XXVI.

De TLACOTZITZICUIN, *seu virga saltante.*

Frutex est folia Polygoni ferens, et caules onustos fructu cerasis simili, sed candidissimo, nitenti, amaro, paululùm minore, et anteaquam maturescat, virenti; caules cinereos, et inaequales, e quibus multi rami prodeunt. Nascitur in montibus *Tepoztlanicis*, nec est alius, quod sciam, praeterquam formae, et pulchritudinis, usus.

CAPUT XXVII.

De TEPACHTLI.

Radices fundit fibrarum instar, caules taeniis similes, folia teretia, parva, luteos flores, ac nigricantes fructus, cerasorum acidorum forma, et magnitudine aemulos, sed paulò minores. Frigida, et adstringenti natura constare dicitur, et amaro sapore. Diarrhoeas compescit, ac puerorum satietati medetur.

CAPUT XXVIII.

De TACUACHE, *seu radice Mechoacani expurgante.*

Tacuache, quam alii *Pusquam*, *Mexicenses* verò *Tlalantlacacuitlapilli* vocant, Herba est radices fundens magna ex parte rotundas, et lacte manantes, candidas, et ex eis caules volubiles, tenues, ornatosque foliis raris, cordis figura, sed minoribus, floribus verò oblongis, et coccineis, ac fructu peponis forma, et magnitudine, lanugine obducto candenti, ac semine albo referto, tenui, latoque, non sine bombycinis quibusdam filis, argenteis, et lentis. Radix est calida quarto ferè ordine, siccaque, et guttur devorata urens. Purgat humores omnes per inferna, sed praecipuè pituitam sesquidrachmae, duarumve drachmarum pondere, ex aqua, vinove, jure pulli, aut ex tremulo ovo, voratu facilis, nec admodum ingrato gustu. Sunt, qui lacte, aut expresso succo utantur vice scammonii, imò qui contendant Plantam ipsam ad Scammoniae genera pertinere, addantque in electaria sicca cum saccharo, mirabilemque dicant effectum praestare. Sunt qui radicem laevigatam per noctem in aqua sex drachmarum mensura macerari permittant, manè percolent, exprimant, et aquam propinent, atque ita parùm injucundo utantur pharmaco. In penuria, aut caritate scammonii additur in electaria, quae illud solent recipere, et

perquam commodum praestat effectum. Sunt etiam, qui radicem illitam asserant mederi febribus, et liquorem instillatum oculis. Tria ejus Plantae reperias genera, marem, foeminamque (quorum utrumque depingendum curavimus) et forma, et viribus valdè similia; necnon et tertium nigranti solo saxosis locis praecipuè proveniens, et radicem fundens tenuiorem, quae aptissima sit duarum drachmarum pondere parando exsolventi electario, addito saccharo *Zaubtlique* decenti mensura, aut tragachanto, quo ad leniter vacuandam bilem, atque pituitam nequeas offendere praestantius ullum. Sunt qui jure decocti ejus syrupum parent, qui duarum unciarum pondere pituitam, bilimque mira facilitate purget. Nascitur in calidis, planisque hujus Novae Hispaniae permultis locis, etsi a *Mechoacanensibus*, ubi primùm reperta est, et vis cognita, precipuum, nobiliusque invenerit nomen; nam et *Temimiltcensibus* est familiaris, qui ferunt urinae evocandae permistam radicem caudae *Tlacuatzin* aequis portionibus miram exhibere operam. Siccanda autem radix, atque ita deinde reponenda. Cavendum ab Herba quadam per omnia paene simili, noxiaque.

CAPUT XXIX.

De TLAHUIC, *seu coccinea Planta.*

Herbula est foliis hirsutis, subalbescentibus, oblongis, et

parvis, surculosis radicibus, Herba ipsa longioribus, dulcibus, ac temperati caloris, viru quodam haud injucundo. Utuntur his adversùm febres. Nascitur *Tzonpanci.*

CAPUT XXX.

De TLATLAHUICPATLI *Tlaltizapanensi.*

Frutex est duas spithamas longus, radici innixus prolixae, lignosae, et crassae, ex qua profert stipites nigros, foliaque exilia, longa, et angusta. Cortex radicis frigefaciens est, siccus, et adstringens, atque ideo medetur ulceribus, sed praecipuè pudendorum. Nascitur in collibus regionum calidarum.

CAPUT XXXI.

De TLATLAHUICPATLI *Hoaxtepecensi.*

Radicem fundit surculo similem, et ex ea caules refertos Origani foliis, subalbidis, hirsutis, et pinguibus. Frigida, humentique, et salivosa natura constat, et erysipelata repellit. Nascitur juxta montium fauces.

CAPUT XXXII.

De TELPOCHXOCHITL, *seù Flore juvenis.*

Radices fundit fibris similes, longasque, et ex his caules octo prolixos spithamas, ornatos oblongis foliis. Frigida

constat natura, febres exstinguit, et inflammationibus adhibetur. Nascitur in planis, et aquosis locis.

CAPUT XXXIII.

De TLALPAYATZIN.

Herba est radice firmata crassa, et fibrata, unde profert caules duos dodrantes longos, et spiniferos, folia vitiginea, fimbriata, sinuosaque, et flores luteos, exiles, orbiculares, et in quaedam coacervatos capitula. Radix candida est, lacte manans, et glutinosa. Saporis est insignis expers, et frigefacientis temperiei. Inflammationibus illita succurrit, dolores lenit, et venerem lancinatis ea renibus excitat. Nascitur in calidis *Tepecuacuilcensibus*, planis, ac campestribus locis, necnon et *Axuchitlani*, ubi *Hoitzpatli* vocant.

CAPUT XXXIV.

De TLALYZTAPATZIN.

Frutex est mediocris magnitudinis, radici innixus magnae, ex qua prodeunt aliae rotundae per quorumdam funiculorum intervalla, caules etiam, et in eis folia Ocymi, majora, aspera, ac multis interveniis secundùm longitudinem procedentibus insignia. Frigefacientium, atque conglutinantium est virium, ideoque perfractis ossibus medetur cortex radicum successu mirabili: admovetur autem recens quinto

quoque die. Radix rubeo colore nitet: caules verò hominis altitudinem aequant, cavique sunt, et lenta referti medulla. Nascitur in calidis *Johalani*, editisque locis.

CAPUT XXXV.

De TÓPOZANTÓN, *seu Tópozan parva.*

Herbula est paulò dodrante altior, radicem fundens surculosam, caules purpureos, cinerea folia, Mali Punici, sed minora. Id nomen sortita est a colore foliorum, quo refert illa *Topozani*. Folia laevigata, et inspersa extergunt ulcera, carne replent, et cicatrice demum obducunt, ac medentur fluxibus. Polygalae Dioscoridis forma, viribusque videretur similis, ni folia Polygalae valde essent minora. Nascitur in frigidis, atque campestribus locis, reconditurque ab Indis radix in usus annuos. *Chulullenses Nenextli* vocant.

CAPUT XXXVI.

De TLALCUITLAXCÓLLI, *seu visceribus terrae.*

Radices mittit albas, tenues, et longas, folia Origani, sed longiora, et angustiora, circinataque, et fructum rotundum toto caulis procursu utrinque juxta foliorum exortum. Radices duarum drachmarum mensura epotae omnes humores purgant citato vomitu, et alvo soluta. Securum est, atque innoxium pharmacum, etsi anxietatem aliquam nonnun-

quam excitet. Mitius est arens viridi, atque e calida aqua devoratum. *Atlapulci* provenit, ubi utuntur succo ejus instillato naribus ad pituitam a capite evocandam, et levandum ejus dolorem, tumoresque discutiendos faciei. Vocant eam *Taahuacapatli*, et in magno habent pretio.

CAPUT XXXVII.

De TLALCUITLAXCÓLLI *Quauhtepecensi.*

Herba est per terram repens, ac fibratae insistens radici, e qua promit caules junceos, tenues, teretes, virescentes, et per spatia modica contortos, geniculatosque per singula ternum unciarum intervalla, et in eis folia longa, angusta, et exilia. Jus decocti ejus fertur imbuere enixas lacte. Nascitur verò juxta flumina.

CAPUT XXXVIII.

De TLALCUITLAXCÓLLI *tertia.*

Magnae, atque fibratae insistit radici, ex qua profert caules multos, geniculatos, sarmentosos, et virentes, volubilesque, et in eis Mori paene folia, rubeosque flores. Jus decocti radicis epotum medetur feminis, quarum vulvae cancerosis ulceribus afficiuntur. Frigida natura constat, ac febres exstinguit. Temperatis, montosisque locis gaudet.

CAPUT XXXIX.

De TOZANCUITLAXCÓLLI, *seu intestinis Tuccae, Talpaeve Indicae.*

Radicibus innititur haec Herba intestinorum instar conglobatis, unde evenit illi nomen, a quibus fundit caules, et in eis folia Origani, sed asperiora, ac circinata, et juxta caulium partes summas coccineos flores, calyculis similes. Radix est frigida, adstringensque, et nonnihil amara. Ventriculum roborat, et ejus calorem temperat, si sex drachmarum pondere laevigata devoretur ex aqua. Medetur ulceribus putridis, et cancerosis, et e gallica lue profectis, impinguat tabidos, et enixis ab his Indis Medicis corroborationis gratia solet quoque exhiberi, fluxum alvi, dysenteriasque coërcet unciae unius mensura devorata. Nascitur humilibus, et montosis locis regionum frigidarum, velut *Chalcicoatepeci*, et *Xochimilci.* Vulgaris Herba est, et cunctis nota, tum ob adstringendi efficaces vires, tum ob formam radicum raram, et quae paucis Plantis contingat.

CAPUT XL.

De TOZANCUITLAXCÓLLI *secunda.*

Radicem profert nigram, longiusculam, sensim gracilescentem,et fibratam, ex qua profert caules quadratos,tenuesque,

et in eis folia Lini, longa, et valde angusta, et in summis caulibus flores longiusculos, et purpureos, ac velut in spicas parvas compositos. Radix sistit diarrhoeas, servarique solet in annuos usus. Nascitur in frigidis, arentibusque *Tlaxcállae* locis.

CAPUT XLI.

De TLÁCHINOLZACATL, *seu pabulo ustulato.*

Junci species est, radicis parvae, et capillatae, caulibus exilibus, et floribus ceterorum Juncorum. Radix est odora, calidaque, et sicca temperie. Dysenteriis ajunt devoratam mederi, et scabiei applicatam. Nascitur in collibus temperatis, locisque *Huaxacae* humentibus; sed quoniam Juncorum genus est, quorum permultae sunt delineatae species eisdem viribus, aut efficacioribus, delineandam non curabimus.

CAPUT XLII.

De TLANOQUILONI *Huaxacensi.*

Herbula est e parvis radicibus, cauliculos hirsutos, et candentes proferens, et in his folia infernè hirsuta, et alba, Pilosellae vulgari similia, etsi breviora, et in postremis caulibus capitula Plantaginis, Holostiive capitulis paria. Utramque bilem leniter vacuat radix unius unciae mensura ex aqua devorata, atque ita ictericis, et gallicam luem passis medetur, et splenis obstructiones reserat, medetur ictero, atque effu-

sae per universum corpus bili. Initio dulcis apparet, ac paulò post guttur videtur exurere. Nascitur in collibus, et campestribus attinentibus ad temperiem agri *Huaxacensis.*

CAPUT XLIII.

De TLACPATLI *Huaxacensi.*

Radicem fundit longam, ac tenuem, et ex ea caules volubiles, et folia per intervalla bina, Ocymi, sed longiora, binis aliis parvulis ab exortu majorum prodeuntibus, et flores coccineos. Radix est frigida, dysenteriisque dicitur opitulari; quamquam neque glutinosa, neque adstringens percipiatur. Nascitur clementi caelo juxta fluminum ripas.

CAPUT XLIV.

De TLAMACAZCATLACOTL, *seu virga Sacerdotis.*

Herba est similis *Xiloxochitl*, cujus radices, quae surculosae sunt, rubrae, frigidaeque, et siccae temperiei, laevigatae, et semunciae mensura ex aqua epotae dysenteriis subveniunt, et appetentiam excitant; quin et satietati opem ferre dicuntur. Nascitur juxta aquosa loca regionum calidarum, sive edita sint, sive campestria.

CAPUT XLV.

De TLAMACAZQUI *Ypapan.*

Radix hujus Herbae est surculosa; caules sarmentosi, fusci, teretes, et volubiles, folia serrata, cordi haud dissimilia, flores, fructusque exiles, et pallentes, et in parvas compositi comas. Radix est frigida, ac lubrica natura; quamobrem redacta in pulverem, et inspersa ulceribus medetur. Jus decocti ejus urinam ciet, et illustrat pallore caligantes oculos. Nascitur in calidis *Ytztolucae*, praerruptisque montium locis.

CAPUT LXVI.

De TETEXIUHTLI.

Herba est binas ulnas prolixa, radice pallenti, amplisque foliis; haec sunt saporis, et odoris expertia, adstringentiaque. Radicum cortex ex aqua resolutus dolorem dentium sedat, et oris ulceribus medetur, qui a calore habent ortum. Provenit in calidis *Tlachmalacacensibus*, in planis, et campestribus locis.

CAPUT XLVII.

De TLATLANCUAYE, *seu Pipere longo.*

Quam Indi hujus Novae Hispaniae TLATLANCUAYE vocant, Piper longum appellat Dioscorides, etsi recondendi

fructum modus nondum ad haec nostra tempora illis cognitus fuerit. Volubilis, ac sarmentosa Planta est, folia oblonga, Piperis rotundi, ac similiter interveniis secundùm rectitudinem discurrentibus, fructus teres et longus, flos nullus. Ergo fructus acris est, calidaque quarto ordine cum insigni siccitate natura, et subtilium partium, folia mitiora sunt; hominis altitudinem excedunt stipites: oriturque passim in calidis regionibus. Folia imposita ulceribus mederi traduntur, praecipuè venenatis: radicis, germinumque expresussuccus epotus, aut infusus aquam intercutaneam dicitur vacuare: jus verò decocti crurium oedemata, aut congestos pituitosos tumores, menstrua etiam evocare, et flatum, ab eisque ortum dolorem tollere, dolores e frigore, aut Indica lue profectos lenire, faucium discutere tumores, et quosvis alios, sed praecipuè adjecta *Centlinam*, impeditum motum restaurare, evocare sudores, flatum discutere, nervorum resolutioni mederi, convulsionique, suffitu juvare epilepticos, pellere rigores, et frigora, et mille hujusmodi alia juvamenta praestare, quae quoniam ex praedicta methodo facilè sit conjicere, fuerit nominatim referre supervacaneum. Nascitur, ut attigi, calidis in locis passim juxta aquas, septa, et saxa, nec desunt, qui *Quauhyauhtli*, et *Temozotl* vocare consueverint.

CAPUT XLVIII.

De TLATLANCUAYE *latifolia.*

Praedictae similis foret forma, et viribus, nisi folia longè majora essent, adeoque Mali Medicae similia, aut ampliora, venae obliquae intercursarent, ac fructus esset minor. Provenit etiam in regionibus calidis.

CAPUT XLIX.

De ATLATLANCUAYE, *seu Tlatlancuaye proveniente juxta aquas.*

Offendi apud rivos *Hoaxtepecenses* Plantam aliam praecedentibus forma, nomine, et viribus similem, sed stipitibus inspersis candentibus guttis, et foliorum amplitudine *Tlatlancuaye latifoliae* paene parem, nec aliter dispositis interveniis, et sapore ferè Anethi; quam, quoniam juxta rivulos, et aquarum defluxiones nasci consuescat, incolae *Atlatlancuaye* vocant.

CAPUT L.

De TLANECPATLI, *seu dentium medicina.*

Ibidem offendimus aliam Plantam ad Piperis quoque longi differentias, ut ego quidem judico, pertinentem, simili fructu, radicibus fibrarum instar, foliis amplissimis, ad peltae amazonicae figuram accedentibus, caule laevi, terete, ac

geniculato per valde distantia intervalla, qui Foeniculum resipit. Edunt Indi caules, ac folia cum suis placentulis, et grati reperiuntur esse saporis. Folia maturant praeter naturam tumores, neque alium praeterea Indi usum narrant. Ego verò existimo eisdem, quibus Foeniculum, facultatibus pollere.

CAPUT LI.

De TLATLANCUAIE *expurgante.*

Tlatlancuaye, seu *Herba geniculata*, radici innititur orbiculari, et fibratae, ex qua fundit caules tenues, et volubiles non sine capreolis in radices, quoties terram contigerint, abeuntibus, spiniferos, striatos, atque per singula intervalla novem plùs minùs unciarum geniculis interceptos, unde nomen, et folia a quibusque geniculis vitiginea, cucurbitinave: flore et semine dicitur carere. Radix, quae ex albo pallescit, et amara est, calidaeque temperiei, contrita, atque ex aqua quatuor drachmarum devorata pondere, utramque bilim, pituitamque citra molestiam expurgat; quod si aeger gravetur cum totalitate sua eam assumere, infusa paulò majori pondere, ebibitoque liquore eumdem praestabit effectum. Temperatis verò locis gaudet, qualia sunt Mexicana.

CAPUT LII.

De TLATLANQUATEQUALONI.

Volubilis est radicibus innixa surculosis, napis similibus, folia ferens rara, cordis figura. Radix est tenera, dulcis, saporis jucundi, lubrica, ad temperiem spectans, edulis per annonae caritatem; si cum calce coquatur, alvum nimis fluxam cöercet, pectus lenit, et laxa conglutinat.

CAPUT LIII.

De TÓCAPÁTLI, *seu Aranei medicina.*

Radicibus firmatur surculosis, unde profert caules, foliaque exilia, et siliquas parvas. Radices sunt tertio ordine calentes, siccae, et paulisper odorae, adstringentes, et amarae. Pulvis earum medetur ulceribus cancerosis, furunculisque. Nascitur montosis, ac planis locis *Xiuhtepeci*, et *Itzocani*, ubi ad praedicta solet haberi in magno pretio.

CAPUT LIV.

De TOCAPATLI *Ytzocanensi.*

Herba est radici magnae, et surculosae insistens, ex qua fundit caules, et in eis folia longiuscula, angusta, et parva. Frigefacit, conglutinatque, et scabiei, vetustisque ulceribus medetur. Provenit in calidis *Ytzocani.*

CAPUT LV.

De TOCAMETL, *seu Araneo Maguei.*

Herba est magna, flore luteo, Chrysanthemo simili, foliis serratis, circa exortum sinuosis, et caule geniculato. Calida est, et glutinosa natura. Succus infunditur utiliter dysentericis. Nascitur verò in calidis *Xantetelci.*

CAPUT LVI.

De TLALPEPETO.

Herbula est dodrantalis, caulibus, foliisque exilibus coccineis, et parvis floribus, radicibus glandibus simillimis, candentibus, ac grati saporis vocatae paene *Xicamae*, aut *Batatae.* Eduntur hae elixae, atque ita magnopere febrientibus opitulantur, et incendia, fervoresque mitigant. Sunt enim frigidae, humidaeque, aut caloris temperati. Provenit in campestribus, humectisque agri *Quauhnahuacensis* locis.

CAPUT LVII.

De TETZOTZOCOL, *seu amphora lapidea.*

Radix est crassa, fibrata, et nigra, quamquam intrinsecùs candescat, unde prodeunt pediculi dodrantem longi, purpurei, translucidique, et in summo folium cordis figura, mediocris magnitudinis, appendens ei interiore parte sui, Fun-

gi, Petasitis, aut Umbilici venerei in modum. Radix amara est, et gustu odorata, calidaque, et sicca gradu tertio. Bibitur gratia sudoris eliciendi, evulsa diutiùs vivit, virescitque, et pediculos profert. Nascitur in calidis, et fortassis Valentino, aut Hispalensi exsultaret solo, aut aliis Baeticae provinciae locis.

CAPUT LVIII.

De TLATLACAPATLI, *seu urenti medicina.*

Radici insistit surculosae, e qua profert caules, et folia Absinthii, hirsuta, tenuia, subalbida, et longa, florem juxta singulos foliorum exortus arentem, candidumque, sed vergentem in rubrum. Odora aliquantulùm est: verùm cum siccitate frigida, aut modici caloris, et cujusdam adstringentiae. Illita ustis mirè confert. Ad genera Helichrysi videtur posse referri, etsi alia sit temperies. Nascitur agro *Quauhnahuacensi.*

CAPUT LIX.

De TECUICIMAITL, *seu brachiis Cancri.*

Junci videtur genus, radicibus innitens capillatis, sed aliis appendentibus longis, candidis, squamosis, ac sensim sese versùs extremas dilatantibus; ex his prodeunt folia arundinacea, caules teretes, sed dodrantes longi, laeves, et tenues, quorum supremas partes occupant flosculi Cyperi simi-

les. Radix videtur insigni sapore, et odore carere, frigidaque, et humefaciente constare natura. Resoluta haec ex aqua, ac instillata auribus saniosos humores ibidem concretos exsiccat, et curat. Idem praestat capiti illita, et malagmatis modo imposita. Nascitur in montosis, calidisque *Oapani* locis.

CAPUT LX.

De *TEQUANPATLI*, *seu ferae veneno.*

Radicem agit raphano similem, folia cordis figura, magnitudinis mediocris, infernè hirsuta, et subalbida, caulem hispidum, et exilem, duas longum spithamas, ac florem candentem, et modicum. Interficit leones, tigresque, et feras alias alvo citata; degustavi tamen eam, velut et ceteras alias, ac cognovi calidae esse, atque urentis naturae. Nascitur in montibus *Oapani.*

CAPUT LXI.

De TEQUANITCEOAL, *seu Leonis umbra.*

Herba est tres longa spithamas, radicibus insistens fibris similibus, foliis Phyllitidis, sed minoribus, ad cujus species videtur pertinere, eisdemque viribus, et natalibus constat. Fructum tamen in postremis fert caulibus, Avenae granis similem, et in spicas compositum.

CAPUT LXII.

De TECUANITEL.

Herbula est radices fundens tenues, et capillis similes, e singulis geniculis prodeuntes, et in eis folia Ocymi, pinguia, circinata, et pro fructu quosdam velut capreolos. Frigida, humidaque natura constat. Edulis est, repellit praeter naturam tumores, medetur tussi, et asperitati gutturis: dolores capitis e solis calore ortos curat, hepati inflammato confert, tollit pruritum, sanguinis fervorem compescit, et ab itinere contractam, aut alio exercitii genere lassitudinem sedat tusa, ac devorata ex aqua pugilli mensura. Adhaeret saxis, quibus radiculis dictum est, juxta aquas ferventium regionum.

CAPUT LXIII.

De TEQUANITXIC, *seu umbilico ferae.*

Radicibus insistit taeniis similibus, unde profert folia virentia, serrata, longa, et infernè subalbida, cordis circa supremam partem figura, aut si totam consideres, Sonchi, et florem spicatum. Vis est frigida, humidaque, atque ita febres placat ex aqua resoluta, atque epota. Nascitur humectis, umbrosisque locis regionum calidarum.

CAPUT LXIV.

De TEPEXIUHQUILITL.

Arbor est folia ferens Origani, exilia, et luteos, parvosque flores. Frigida, et aliquantulùm adstringenti constat natura; provenitque in collibus *Oapani.*

CAPUT LXV.

De TZINACANQUAHUITL, *seu Arbore Vespertilionis.*

Arbor est magna, stipites fundens cinereos, folia *Pinahuiztli*, aut *Thoixocbitl*, siliquas planas, latasque, flores parvos, et coccineos. Sapor est amarus cum dulcedine, et adstringentia. Jus decocti corticum dysenteriis medetur. Nascitur In calidis *Oapani* collibus.

CAPUT LXVI.

De TEMPALANALIZQUAHUITL, *seu medicina ulcerum oris.*

Arbor est folia ferens Hederae, obrotunda, mediocris magnitudinis, ac fuscum caulem. Liquor e teneris germinibus stillans amarus est, odorus, ac resinosus; ulceribus oris medetur, lenitque labia dehiscentia ob ventriculi calorem, et oculis inflammatis medetur, unde nomen. Sunt, qui *Tempalan*, necnon qui *Ollacotl* vocent. Nascitur saxosis, praeruptisque *Metztitlani*, et *Oapani* locis.

CAPUT LXVII.

De TEXIXILQUIXTIA, *seu Herba excitante ruborem.*

Herba est duos dodrantes longa, fibris insistens, e quibus profert teretes caules, rectosque, folia longiuscula, serrata, et angusta, capitula Stoechadis, sed valde longiora, quae circa finem rubescunt. Glutinosa aliquantulùm est, frigidaque, et humida natura, qua repellit inflammationes. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT LXVIII.

De TEXOXOCAPATLI, *seu viridi, et lapidibus innascenti medicina.*

Frutex est quatuor spithamas longus, foliis Amygdali, sed tamen latioribus, fructu ciceris forma, et magnitudine, racematim dependente, initio rubro, ac demum nigro, radice, qua insistit crassa, flore rubescente, molli substantia, et salivosa, purpureaque, binis granulis intra singulos inclusis fructus. Cortex radicis est amarus, resipitque amarum peponem. Pulvis medetur ulceribus, ut qui frigidus sit, siccus, et paulisper adstringens. Provenit in calidis *Mayanalani* juxta colles.

CAPUT LXIX.

De XOXOCAPATLI.

Herba est radici innitens surculosae, et candenti, unde profert caules geniculatos per intervalla, cinereos, teretes, et sex cubitos longos, in eisque folia *Cihuapatli*, hirsuta, subalbida, quibusdam crenata locis, et desinentia in acumen; flores verò candidos, et in comas parvas compositos. Acris est, odorata gustu, et Foeniculum resipiens, quem etiam temperie videtur imitari. Ajunt radicem epotam alvum coërcere, illitamque mederi febribus, fortassis morbi causa alicunde vacuata, aut fugatis accesionum rigoribus. Provenit apud *Quauhnahuacenses*, ubi curavimus depingendam.

CAPUT LXX.

De XOXOCAPATLI *Yacapichtlae.*

Herba est magna, caules fundens teretes, virore tinctos exsaturato, candentibus guttis distinctos, et in eis Cucurbitae, aut Vitis folia. Odora est, et amara, calidaque, et sicca tertio ferè ordine temperie. Indi Medici illinunt corpora febricitantium foliorum succo, aut quò eorum medeantur rigoribus, aut sudoris eliciendi gratia, aut humores quomodolibet aliter vacuandi. Nascitur in calidis *Yacapichtlensibus*. Alteram eodem nomine Plantam ibidem conspeximus, quam

tamen *Patlahoac*, seu *latifoliae* distingunt cognomine, sed folia producit magna, cordis figura, acuminata, serrataque, et valde prominentium laterum, acris saporis, calidaque, et sicca quarto ordine temperie, et radicibus surculosis.

CAPUT LXXI.

De TIANQUIZPEPETLA.

Praeter Polygoni nostratis species duas, et Indicam aliam, quam in superioribus descripsimus sub nomine *Chalcuitlatl*, reperitur insuper alia, quam Mexicani, quoniam ubique paene solum repens exornet, *Tianquizpepetla*, seu *emporiorum* vocant *tapetum*, foliis latioribus, virentioribus, atque obrotundis. Hujus succus frigidus est, atque adstringens, cynanchicis opitulatur, ulcera oris, et pudendorum curat, haemorrhoidibus medetur, gingivas inflammatas placat, dysentericis epotus, et applicatus medetur, ac cuivis sanguinis defluxioni succurrit, praecipuè si a nimio oriatur calore. Jus decocti ejus bibitus medetur ardori urinae. Ubique nascitur, neque ullam recusat caeli temperiem, aut locum. Sunt, qui vocent *Tececequi* a natalibus, et frigida ejus natura.

CAPUT LXXII.

De TOTOXOCHITL *prima, seu Flore passeris.*

Radicem profert unicam, surculo similem, caules quatuor dodrantes longos, folia oblonga, tenuia, florem pallentem, aut coccineum. Radix adstringit cum mediocri quodam calore, frigoreve (in quod inclinat magis animus). Folia, et radices ulceribus medentur inspersa. Nascitur in collibus *Mayanalanensibus.*

CAPUT LXXIII.

De TOTOXOCHITL *secunda.*

Frutex est foliis Mali Medicae, firmis, et vasculis purpureis, parvis, duorum sese intersecantium circulorum. Folia calefaciunt, et exsiccant, admotaque extergunt, et curant ulcera. Nascitur in calidis *Tzonpanci* collibus.

CAPUT LXXIV.

De TOTOXOCHITL *tertia.*

Herbula est caules fundens tenues, folia Origani, coccineum florem, longiusculum, et radicem Batatae similem, Paeoniaeve. Frigefacit, sapitque legumen. Nascitur in calidis *Tlaltizapani* collibus. Infunditur, propinaturque crassos humores reddentibus simul cum urina.

CAPUT LXXV.

De TOTOXOCHITL *quarta.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, flore coccineo, et luteo, frigida, et sicca natura, ac nonnihil adstringenti. Folia tusa, illitaque febrientibus opitulantur, sistuntque diarrhoeas. Nascitur in calidis locis.

CAPUT LXXVI.

De TETZAUHPATLI *Huaxacensi.*

Herbula est radici insistens tenui, et longiusculae, unde profert exiles, et volubiles caules, et in eis folia parva, producta tamen, et angusta, flores verò candidos, et exiles. Ad Alsines species videtur pertinere. Insipida est radix, frigidaque, et humida constans temperie, quae semunciae devorata pondere sistit diarrhoeas, et immodicum exstinguit calorem.

CAPUT LXXVII.

De TOTOCHOMITIC, *seu Flore piloso rubro.*

Radice firmatur surculosa, et fibrata, fulvaque, unde prodeunt rami, qui per terram expanduntur, foliis referti Ocymi, floribus Amaranthi cristis similibus, minoribus tamen, ac rubescentibus, et capillatis, unde nomen. Frigidae est naturae; quo fit, ut radix semunciae mensura devorata fe-

bres sedet. Nascitur in frigidis, ac montosis locis pluviarum tempore.

CAPUT LXXVIII.

De TOTOLYACAPILÓLLI, *seu naso avis.*

Herba est tres dodrantes prolixa, surculosis radicibus, fibratisque, ac flore candenti, parvo, et stellato. Frigida, et adstringenti natura constat; quo fit, ut flores, foliaque imposita tumores praeter naturam repellant. Sumsit nomen a sede floris. Nascitur in calidis, et campestribus *Tepecuacuilci* locis.

CAPUT LXXIX.

De TETLATIA, *seu Arbore urenti.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, fulvis, hirsutisque, et minimè deciduis, pinguibus, mollibus, et e viridi in squallidum colorem tendentibus, insignibusque interveniis multis, luteis, aut flammeis, fructu virenti Unedonis forma, et magnitudine. Lac urentis est naturae; quo fit, ut jumentis ad eam Arborem sese confricantibus, atque scalpentibus fluant pili, aut si eidem accubent; quin homines, aliave animalia sub illius umbra captantia somnos incidunt in pilorum defluvium. Lac attacta membra exulcerat, tanta est vis hujus mali! quodque magis mirere, cortex hujus Arboris frigidus est, et siccus, nulliusve caloris, et jus decocti ejus non modò citra noxam ullam epotatur, sed articulorum

solvit dolores, et medetur scabiei bibitum, aut illitum, ac diarrhoeas (ut quidam Indi Medici asserunt) coërcet. Quin lac praedictum lepram, ophyasin, impètiginem, ceterasque cutis infectiones, si prudenter adhibeatur, exsiccat, ulceraque insanabilia curat. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Tepoztlani*, et calidiora non refugit; nam et inter *Haitinos* quoque provenit, apud quos *Guao* vocari consuevit. Sunt, qui affirment corticem duarum drachmarum pondere redactum in pulverem, atque devoratum alvum laxare, quod qui fieri possit, non est facile judicare, si diarrhoeas cohibet, nisi compressione quadam vacuet, aut omnino exsuccus adstringat. Materies verò admodum firma est, et ad opera topiaria perquam accommoda.

CAPUT LXXX.

De TEPETETLATIA.

Arbor est magna, longa ferens folia, salignave, per ambitum scissa, et mucronata, flores parvos, obrotundos, et rubescentes. Cortex curandis ulceribus inservit; est enim adstringentis naturae, gustu odorae, aptissimaeque roborandis partibus quibusque corporis humani, coërcendisque defluxionibus. Nascitur in collibus *Mayanalani* Est et alia Arbos eadem facultate, et nomine, sed subalbidioribus infernè foliis, et illis *Copalquahuitl* latifoliae, hispidaeque haud absimilibus.

CAPUT LXXXI.

De TLAUHQUECHOLTIC, *seu Planta simili avi*, *quam vocant Tlauhquechol.*

Frutex est stipites fundens quadratos, serrata folia, et Balloti, ni majora essent, similia, flores rubeos, magnos, frequentes, et in muscaria acervatos, visuque spectabiles. Calidus est, et siccus, magisque ob florum pulchritudinem jucundus, quàm ob usus, quos Indi memorent, necessarius.

CAPUT LXXXII.

De TZITZIN.

Arbor est magna, ulmeis foliis, sed longioribus, atque ideo a quibusdam in Ulmorum relata differentias, etsi Hispani hujus Orbis incolae ob materiae firmitatem Fraxinum vocent (quamquam veram Fraxinum nostratem apud *Ocopetlayucenses* natam viderim), alii verò credant esse Carpinum. Montana Arbor est, floreque, et fructu caret, quamvis cultura, industriaque hominum jam caeperit in hortos suburbanos, templorumque, et magnificarum aedium atria descendere. Sunt, qui referant jus decocti foliorum fluxum alvi cohibere. Nascitur temperatis, calidisque locis, qualis est Mexicanus, et *Quauhnahuacensis.*

CAPUT LXXXIII.

De TLAHOELILOCAPATLI, *seu dementiae medicina.*

Arbuscula est surculosas radices fundens, stipites hominis superantes altitudinem, tenues, rectos, et fuscos, folia Limonis forma, sed magis acuminata, aspera, et scissa per ambitum, flores orbiculares, et luteos, nucum ponticarum forma, e multis luteis vasculis concinnatos, appensos pediculis longis, et tenuibus, prodeuntibus juxta singulos foliorum exortus, utrinque ternis, quaternisve. Calida est, siccaque natura ordine secundo, et odore gravi, Thymo simili, sed non omnino injucundo. Quaevis ejus particula decocta cum *Copali*, et *Xochiococotl*, aut Liquidambare, epotaque, vel admota torturae oris opitulatur, aut cuivis alteri particulae resolutae. Succus propinatur vomitionem a frigida causa patientibus. Nascitur *Acatlicpaci* juxta rivos.

CAPUT LXXXIV.

De TLAHOELILOCAPATLI *secunda.*

Herbula est exilis, et volubilis, radicem fundens, tenuem, et longam, folia cordis figura, fructum paene orbicularem, et fructui *Zolcohanenepilli*, de quo suo loco dictum est, atque eodem modo paleis exilibus refertum, similem. Cortex radicis laevigatus, devoratusque duarum drach-

marum pondere bilim per superiora vacuare solet. Nascitur in collibus regionum calidarum. Calida veró radix est ordine tertio, atque amara.

CAPUT LXXXV.

De TLAHOELILOCAPATLI *tertia.*

Arbor est magna, subalbidis stipitibus, oblongis foliis, ac flore, ut ajunt, pallescenti. Folia tusa, et capiti illita dicuntur alienationi succurrere, unde nomen; quae fortassis praestat discussione, non enim videtur expers caloris. Nascitur in regionum fervidarum jugis.

CAPUT LXXXVI.

De TEPEICHPOCHQUILITL, *seu Herba montana puellae.*

Frutex est radices fundens surculosas, caules duorum dodrantum, contortos, germina excelsa, et rubra, folia pinguia, oblonga, parva, fructum virentem, et orbicularem. Frigida, humentique folia constant natura, ac tumores praeter naturam repellunt. Saxosis provenit locis agri *Temimiltzincensis*, qui calidus est.

CAPUT LXXXVII.

De TEPEHOEIACTON, *seu Planta longiuscula montis.*

Herba est radice surculosa firmata, supernè lutea, et

candida internè, unde prodeunt caules cinerei, tres spithamas longi, et in eis folia squallida, exilia, rutacea, sed minora, obducta lanugine, Polygalae similia, et in summo capitula pilosa, subalbidaque cum floribus purpureis, Thymi similibus. Sicca est, et modicè calida cum jucundo odore, ac Thymum redolens: non tamen depingendam putavi, quoniam nec forma spectabilis est, nec quidquam de ea narrari egregium audio, quod ad Medicinam spectet, etsi sint, qui referant folia tusa, appositaque mederi tumoribus, ulcusculisve profectis ex scalptura. Nascitur in calidis *Teocaltzinci* locis.

CAPUT LXXXVIII.

De TEPEALACTON, seu Herba montis lubrica.

Radicem fundit crassiusculam, tectam cortice ex luteo rubescente, caules binis cubitis longiores, folia aspera, serrata, parva, et florem candidum, et virentem. Frigida est, atque adstringenti natura; quamobrem ajunt opitulari diarrhoeis. Nascitur *Teocaltzinci.*

CAPUT LXXXIX.

De TZONTECOMAMAXIHUITL, seu Herba capitata.

Ita vocata est ob radicem, cui insistit, magnam, atque surculosam, a qua plures propagantur caules subalbidi, lenti, Foeniculo similes, quinque prolixi spithamas, ac per in-

tervalla geniculati, et in eis Mali Medicae folia, firma, et flores, ut ajunt, pallentes, et modici. Caulis Foeniculum sapit, odorus est gustu, calidusque, et siccus ordine secundo, ac subtilium partium. Cortex radicis tusus, et scabiei admotus medetur ei, etsi efficacior videatur caulis. Nascitur in calidis *Teocaltzinci* collibus.

CAPUT XC.

De TZONTECOMAMAXIHUITL, *seu Herba capitata Texaxahuacensi.*

Caules fundit subalbescentes, laevesque, sed per intervalla geniculatos, folia longa, et angusta, pinguia, et mollia, florem, ut ajunt, luteum, et *Tauhtlino* similem, comantemque. Cortex radicis scabiem exsiccat, et curat; frigida enim, atque sicca est. Nascitur in collibus, calidisque regionibus agri *Texaxahuacensis.*

CAPUT XCI.

De TZOMPILIHUIZPATLI.

Tzompilihuizpatli, seu *medicina ciens sternutamentum,* quam alii *Tzonteconpatli*, seu *medicinam caput expurgantem* vocant, Herba est Arboribus sese convolvens, radice longa, tenui, et capillata, caulibus tenuibus, et rotundis, purpureisque, ornatis foliis raris, ternis, et ocyminis, majoribus tamen, initio circinatis, ac demum per ambitum sectis,

fructu comante, Foeniculi paene modo; unde oriuntur capillamenta candentia, longaque, bombycinis filis lentis similia. Acris est, calidaque, et sicca ordine quarto, et praecipuè capillamenta; quamobrem admota naribus sternutamentum statim movent, caputque expurgantia illius dolorem, dentiumque levant. Nascitur in calidis, temperatisque, et montosis locis, velut *Yauhtepeci*, *Ytzocani*, et Mexici.

CAPUT XCII.

De TENAMAZNANAPALOA.

Frutex est radicis magnae, et surculosae, folia ferens Salviae forma, longa, et angusta, obtusa, terna, subalbida, et aspera, florem Leguminis, purpurascentem ex candido, in corymbi formam compositum, et fructum racematim compositum, obrotundum, nucum ponticarum figura. Frigida, sicca, et adstringenti temperie constat, et ideo liquor defluens e germinibus tenerioribus instillatus medetur oculis, si inflammatione tententur. Adhibetur tumoribus praeter naturam, ac febres exstinguit. Nascitur ubique in calidis. Sunt, qui *Tenamazton* vocent, nec desunt, qui *Tlalamatl*.

CAPUT XCIII.

De TLAZOLXIHUITL.

Herba est exiles caules proferens, flosculis exilibus plenos, Typhae granis similibus, qui demum hiantes in pappos abeunt manente semine, radices capillis similes, et folia Ocymi, mollia, et serrata. Saporis est, et odoris paene expers, frigidaque, et humenti natura. Succus foliorum instillatus naribus placat capitis dolorem, movetque sternutamentum partibus, ut videtur, quibusdam tenuibus, et calidis, ceteris frigidis, et crassioribus permistis. Nascitur *Yztotolani* inter sata.

CAPUT XCIV.

De TLATLACOTIC, *seu Herba simili virgae.*

Radices fundit tenues, et longas, folia parva, Ocymo similia, circinataque, flores, ut referunt, purpureos, similes *Chian*, et spicatos. Radix est dulcis, sapore Glycyrrhizae, et paulisper acris. Cujus drachmae duae devoratae ex aqua satietati, frigorive medentur. Nascitur in collibus calidarum *Tlaltizapani* regionum.

CAPUT XCV.

De altera TLATLACOTIC.

Radici insistit *altera* Tlatlacotic magnae, intus candenti, et extra fulvae, multis surculis plenae, ex quibus quamplures rami oriuntur, duos longi cubitos, sudibus similes, unde nomen, tenues, fulvi, ac teretes, et ex his alii tenuiores, folia Leguminum quorumdam foliis similia, parvique, et rubei flores. Frigida est, ideoque, si pulverem radicis ejus in aquam conjectum residere aliquandiu permiseris, et aquam propinaveris potandam, febres exstingues, et praeter naturam calorem contemperabis. Provenit campestribus *Tacapichtlae* locis. Aliam eodem nomine Plantam vidi *Ytzocani*, foliis parvis, longiusculis, et angustis, praecedenti non plurimùm dissimilem, etiam facultate; nam aut frigida est, aut spectat ad temperiem: necnon tertiam *Tacapichtlae*, foliis longiusculis, et angustis, Leguminum quoque foliis similibus; radicibus surculosis, amaris, acribus, et gustu odoris, quam cognovimus tussi plurimùm conferre, satietatique; et ideo delineandam curavimus.

CAPUT XCVI.

De TLATLACOTIC *Anenecuilcensi.*

Similis est Herbae vocatae *Tenamaznanapaloae*. Sapore,

et odore insigni caret. Temperata constat natura, et appetentiam devorata excitat. Nascitur in calidis *Anenecuilci*, unde cognomen.

CAPUT XCVII.

De TLATLACOTIC *Quauhquechullae.*

Radices sunt amarae, fibris similes, et aliquantisper odorae; sistuntque diarrhoeas.

CAPUT XCVIII.

De quinta TLATLACOTIC.

Multas radices fundit *quinta* TLATLACOTIC candentes, ac similes capillis, corticem nigrum, caules purpureos, plures, folia pinguia, supernè virentia, et infernè candicantia, serrata, et ocymina forma, et flores in corymbis purpureos. Odore gravi constat, calidaque, et sicca ordine tertio temperie, et tumores praeter naturam dissipat.

CAPUT XCIX.

De sexta TLATLACOTIC.

Ita vocant Solani quamdam speciem, ferentem quoque pro fructu eos acinos, quos Mexicenses vocant *Tomáme*, vesicis inclusos, provenientem *Tauhtepeci*, et *Quauhnahuaci*. Radix est paulisper frigida, aut temperati caloris, dulcis, et arida gustui, excitareque referunt appetentiam sopitam, atque intermortuam.

CAPUT C.

De TLATLACOTIC *Tepoztlanenſi.*

Radicibus firmatur ſurculorum inſtar, extra nigris, et intra candidis, unde prodeunt caules multi, tereteſque, et aliquantiſper purpurei, aſperi, et praelongi, folia Limonis, majora tamen, raris per ambitum crenata ſciſſuris, ac interveniis ſecundùm longitudinem diſcurrentibus inſignia, flores verò lutei, et orbiculares. Radix eſt acris, odora, ſubtilium partium, calidaque, et ſicca ordine tertio natura, et ventrem dolentibus, tumentibuſque impenſè utilis; flatum ſiquidem diſcutit, alvum expurgat, atque ita dyſentericis dicitur mederi. Naſcitur in montibus *Tepoztlanicis*, *Yauhtepecenſibus*, et *Yacapichtlenſibus.*

CAPUT CI.

De TLATLACOTONTLI, *ſeu Tlatlacotic.*

Fibratis inſiſtit radicibus, ex quibus profert caules prolixos, et tenues, folia longiuſcula, et anguſta, illis Roriſmarini coronariae ſimilia, flores circa caules poſtremos exiles, et candentes. Pulvis radicum permiſtus reſinae ulceribus medetur; carnem ſiquidem vitiatam exedit, extergitve vulnus, et tandem cicatrice obducit. Eſt enim calidus, ſicciuſque, glutinoſus, et amari ſaporis. Naſcitur *Ocuilae.* Ajunt

praeterea perquam aptè flatum discutere.

CAPUT CII.

De TEXAXAPOTLA, *seu Indica Ptarmica.*

Radicem tenuem fundit Texaxapotla, seu *lapidum perforatrix*, quam alii *Tzompilihuizpatli*, seu *sternutamentum moventem* vocant, fibratamque, et inde caules tenues, serpentes per terram, et purpureos, folia Lini, exilia, et flores multos, pallentes. Olet haec Mala Medica, quae Citrea vocant, mirum in modum, sapitque. Acris est, calidaque, et sicca ordine ferè quarto, subtiliumque partium. Admota naribus, inspiratoque ejus vapore medetur gravedini, et capitis dolori, citato sternutamento, et evocata pituita per os, oculos, atque nares. Mirum est in ea Herbula (quod nos sumus saepius experti) confricato ea madente lapide, vel quinque uncias crasso, admotisque aversae parti naribus, ita percipi odorem, ac si naribus ipsis Herbulam admovisses; tanta enim est naturae vis, ut vel exiles Herbulae, ac ferè nullae durissima, crassaque penetrent saxa. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus*, *Tlaquiltenancensibus*, et in agro *Hoaxtepecensi* adhaerens saxis. Eadem tusa, illitaque ante quartanae febris accesionem, curat eam, utero confert, menstrua evocat, urinam ciet, reserat obstructa, infrigidata calefacit, sudores elicit, dolores mitigat, ventriculum, cor,

et caput devorata, vel applicata firmat, hydropem curat, medeturque impetigini, et scabiei, nec tineae parcit confricata.

CAPUT CIII.

De TATANATLI, *seu arca parva.*

Frutex est folia ferens obrotunda, mollia, hirsuta, et subalbescentia, serrataque, flores exiles, et fructum pontici nucibus similem, includentem grana terna eximii odoris, et illum *Axocopaconi* vocatae Arboris aemulantem. Nascitur in calidis *Tlaltizapani* juxta rivos, neque alium, quàm odoris, praestat usum.

CAPUT CIV.

De TLANCOCHPATLI *Texaxahuacensi, seu dentium medicina.*

Caules mittit purpureos, sed non omni ex parte, radicem surculosam, et folia saligna. Cortex radicis frigefaciens est, sed lac germinum calefacit, et dentium dolorem tollit applicatum, unde est illi nomen impositum. Nascitur *Texaxahuaci.*

CAPUT CV.

De TLANCOCHPATLI *Yahualiuhcanensi.*

Radicem fundit tuberosam, longam, tenuem, et fibratam, et ex ea caules duos dodrantes longos, lignososque, et folia saligna, quae tusa, et admota dentibus dolorem illorum placant. Nascitur juxta iliceta, et colles.

CAPUT CVI.

De TLANCOCHPATLI *Huexotzincensi.*

Radicibus insistit fibris similibus, unde profert caules exiles, repentes per terram, et in eis folia rara, obrotunda, cordis paene figura, ac luteos flores. Tusa radix, et applicata dolores dentium tollit, et sensum loci, cui admovetur, hebetàt; quod etiam praestare folia possunt. Calida autem est, siccaque ordine quarto, et urentis facultatis. Nascitur in frigidis, humidisque locis juxta colles, et montium juga apud *Huexotzincenses*, unde cognomen.

CAPUT CVII.

De TLANPATLI, *seu medicina dentium Xoxotlae.*

Radici fibratae insistit, tenui, et sensim gracilescenti, unde profert tenues, teretes, ac purpureos caules, et in eis folia Absinthii, longiuscula, et per ambitum crenata, et in cacuminibus flores Chamaemeli, luteos, orbicularesque. Acris est, calidaque, et sicca ordine tertio, quartove. Admota maxillae dentes erosos, dolentesque curare fertur.

CAPUT CVIII.

De TEPETLACHPAOAZTLI, *seu montanis scopis.*

Radicem fundit extra pallentem, intus verò candidam,

fibratamque, caules prolixos, et fuscos, folia angusta, et longiuscula, flores albos, exiles, et spicatos. Similis est *Tlachpahoazxochitl*, et fortassis eadem, differens tantùm situ, aut illi congener; quamobrem delineandam non curavi; eodem enim modo pallent radices, foliaque longiuscula, et angusta sunt. Frigida est, aut caloris moderati, humida, et salivosa. Succus ejus oculis inflammatione tentatis illitus mirum in modum confert, quae est inter alias potissima ejus vis, etsi mordentem quoque urinam leniat, et vesicae, renumque ulcusculis, si devoretur, ferat opem.

CAPUT CIX.

De TEMPIXQUIZTLI.

Differre videtur ab altera Planta, quam Libro I. sub eodem nomine descripsimus; haec enim non est spinifera, aut folia hirsuta sunt, vel squallentia infernè, latave: quin flore, et fructu caret, quibus altera redundat. Succus corticis, qui frigida, siccaque natura constat, et sapore ferè nullo, oris ulcusculis, et ardoribus opitulatur. Provenit in calidis, ac montosis locis.

CAPUT CX.

De TOMONICOA.

Species est Phaseoli, quam in agris *Hoaxtepecensibus*

reperi, nucleos minimè edules ferens: febres tamen puerorum tollit illita: flores rubri sunt, natales verò aquarum fluenta.

CAPUT CXI.

De TLALOCTLI, *seu vino terrestri.*

Volubilis genus est foliis magnis, et sapore ferè nullo; temperies est humens, et refrigerans; cujus gratia radix devorari solet ex aqua, postquam redacta sit in pulverem, adversùs nimios ardores. Nascitur *Hoaxtepeci* in saxis.

CAPUT CXII.

De TLANENPOLOA.

Radicem fundit pollicarem, candidam, et prolixam, et ex ea caules fulvos, folia oblonga, Plumbaginis foliis similia, pinguia, molliaque, et flores in summis caulibus ex albo purpurascentes. Fructus est *Chilli*, aut *Tlallayotli* similis, semine contuso, et lanugine, cui appendet, refertus. Ajunt radicem, quae dulcis apparet, ac moderati caloris, tusam, et applicatam pannos, furunculos, et ceteras inflammationum differentias maturare; nec desunt, qui dicant devoratam hanc Herbam interficere post totidem dies, quot secuti fuerint, cùm devoratur, avulsam; cui rei an fides habenda sit, alii viderint, cùm in venenis vix locum habeat experimentum. At ego non usque adeo venenatam ex odore,

et gustu judicavi: imò praedictis facultatibus praeditam, quamvis venefica, occultaque vis possit illi inesse, et natura rerum omnibus momentis fide careat. Nascitur passim in regionibus calidis.

CAPUT CXIII.

De TLALAPITZATLI, *seu Herbula cöercente diarrhoeas.*

Herbula est candidis radicibus innixa, et fibris similibus, unde profert caules, et in eis folia parva, subalbida, et hirsuta, et candescentes flores. Saporis, et odoris expers videtur, frigidaque, et humida natura. Compescere dicitur diarrhoeas, unde invenit apud hanc gentem nomen, caloremque excedentem sedare foliorum devoratus pugillus ex liquore quopiam adstringenti. Nascitur in collibus *Anenecuilcensibus.*

CAPUT CXIV.

De TETLATLAPAN, *seu Herba saxifraga.*

Radices fundit fibrarum instar, caules pallescentes, fragiles, tenues, teretesque, et per intervalla geniculatos, folia Origani, paulisper albicantia, et hispida. Calida constat temperie. Medetur satietati, lapides frangit, et appetentiam excitat. Nascitur in collibus *Anenecuilci.*

CAPUT CXV.

De TLAPALYHOIXOCHITL, *seu Yhoixochitl rubea.*

Species est *Yhoixochitl* Arboris, de qua suo loco dictum est, sed rubeo colore micantibus flosculis, unde habuit nomen. Nascitur *Quauhtlanamiltzinci.*

CAPUT CXVI.

De TLANTZIQUI.

Genus est Phaseoli visum a nobis *Xantetelci*, siliquas paene quadrangulas ferens, et jaspidis more variatas. Frigida est, ac Leguminis saporem referens, curansque, ut narrant, ulcera.

CAPUT CXVII.

De TLALPANCOCOCHIATL, *seu Planta solo incubanti.*

Genus est Trifolii fundentis folia terna, obrotunda, mollia, et parva, caules duas spithamas longos, et siliquas modicas. Frigefaciente, et salivosa natura constat, exsiccat ulcuscula, ac parvos e gallica lue erumpentes tumores desuper applicata. Provenit *Quauhtlamiltzinci.*

CAPUT CXVIII.

De TLALPANXIHUITL, *seu Herba terrestri.*

Radice firmatur capillata, unde caules proficiscuntur,

et in eis folia Majoranae, sed circa cuspidem in tres angulos divisa, flores Bellidis vocatae minoris, Chamaemelive, quorum media pars orbicularis, et lutea est, quae verò ambiunt, folia ex albo purpurascentia. Calida est, et sicca gradu quarto, et partium subtilium. Exhibetur adversùs febrium frigora, nasciturque in frigidis, et humidis locis juxta fauces montium.

CAPUT CXIX.

De TACALPATLI, *seu ulcerum medicina.*

Species est Alsines foliis cordis figura, sed angulosis. Medetur ulceribus, ut indicat nomen, provenitque *Quauhtlae.*

CAPUT CXX.

De TACALPATLI *altera.*

Radicibus firmatur surculosis, longisque, et cortice opertis crasso, et tenaci, cujus gratia quidam *Tlalamatl* vocant: ex his caules fundit, et in eis folia parva, ternaque, ac flores luteos, et modicos. Pulvis radicum medetur inveteratis plagis, aut eadem radix tusa, et emplastri modo imposita. Frigida, et sicca natura constat, et Legumina videtur sapore imitari.

CAPUT CXXI.

De TACALPATLI *tertia.*

Herba est quaternas spithamas longa, radici insistens fibratae; unde profert caules exiles, et in eis folia rara, longa, et angusta, e nodis utrinque exorientia, et nervis secundùm longitudinem more minoris Plantaginis discurrentibus distincta, ac flores toto paene caulium procursu luteos, exilesque, et odoris jucundi, Hyperici floribus haud dissimiles. Pulvis medetur ulceribus, unde nomen. Nascitur in frigidis *Malinalcensibus.*

CAPUT CXXII.

Dè TACALXIHUITL, *seu Herba ulcerum.*

Radices fundit TACALXIHUITL surculosas, caulem crassum, ac sarmentosum, folia cordis figura, lata, serrataque, et flores, ut ferunt, cymbalorum forma, magnos. Folia commansa, admotaque ulceribus medentur; frigida siquidem sunt, et admodum glutinosa natura. Nascitur in calidis *Yohalani.*

CAPUT CXXIII.

De TETLAHUELÌCPATLI, *sèu medicina delirantium.*

Radicem fundit crassam, caules teretes, et laeves, fulvosque, oblonga folia, ac illis Limonis figura, et magnitu-

dine paene similia, et magis acuminata, majuscula, rigidaque, et scabra, ac flores purpureos, et acervatim supremis caulibus inhaerescentes. Succus foliorum propinari solet delirantibus sine febre, amentibusve. Odora Planta est, calidaque, et sicca ordine secundo.

CAPUT CXXIV.

De TLALCÒCÒL *Tacapichtlensi.*

Radicem surculosam fundit, folia Origani, mollia, aliquantulùm hirsuta, et subalbida, ac flores modicos, et candentes. Tussientibus auxiliatur. Aliam plantam eodem nomine, temperamentoque, et usu vidi apud *Tacapichtelenses*, sed foliis longiusculis, et angustis, et radice surculosa, quae initio apparet dulcis, ac tandem guttur lancinat.

CAPUT CXXV.

De altera TLALCÒCÒL.

Tlalcòcòl *altera*, quam alii, quòd ulceribus medeatur, *Palancapatli* vocant, et alii *Tztacpatli*, quòd candida sit, radicem mittit crassam, et longam, crassisque surculis plenam, caules multos, spithamaeos, tenues, et in eis folia parva, terna, virentia supernè, ac infernè candicantia, floresque rubeos, et modicos. Radix trita, inspersaque, ulcera putrida extergit, carne implet, ac cicatrice obducit,

unde illi est praeter alia *Palancapatli* nomen.

CAPUT CXXVI.

De TLALTECZOLLI.

Herbula est radici innixa glandi persimili, ex qua funduntur ramuli purpurei, et folia Amygdali, sed minora. Frigida constat temperie, qua repellere dicitur praeter naturam tumores. Nascitur *Tacapichtlae* planis locis.

CAPUT CXXVII.

De TILAOACPATLI.

Volubilis Planta est foliis Unedonis, verùm angustioribus, ac floris, et fructus expers. Caulis cortex frigidus est, siccus, et adstringens, qui tusus ustis medetur.

CAPUT CXXVIII.

De TZITZIQUILTIC, *seu Planta serrata.*

Herbula est serratis foliis constans, unde nomen, fibratis radicibus, et tenuibus caulibus, quam ajunt ulceribus mederi. Provenit *Itzocani.*

CAPUT CXXIX.

De TZITZIQUILXIHUITL, *seu Herba scissa per ambitum.*

Herba est magna, fibratae radici innixa, unde caules

prodeunt multi, teretes, longi, recti, ac digitalis crassitudinis, flores in summis caulibus aggerati, auri colore, et in comae formam compositi, folia saligna, serrata, unde nomen, verùm paulisper latiora. Odora est gustu, calidaque, et sicca temperie gradu tertio, subtiliumque partium, unde secundae facultates, ac tertiae conjici facilè possint.

CAPUT CXXX.

De TEPEXOCHTEMECATL.

Volubilis est foliis Phaseoli, longis, et angustis siliquis, et flore candenti, magno. Frigida, glutinosaque constat natura, et in calidis *Chietlae* locis provenit.

CAPUT CXXXI.

De TZICATLACOTL.

Folia Salviae producit, Chrysanthemi flores, unde queat fortassis quispiam Indicam Chrysanthemon hanc Plantam vocare. Aliquantulùm amara est, calidaque, et sicca gradu secundo; quamobrem tuberculis juxta caput exorientibus ajunt conferre.

CAPUT CXXXII.

De TUCURUESQUA, seu bubonis oculo.

Volubilis est radici innixus Paeoniae simili, sed longiori, amari, et candidi coloris, unde prodeunt caules sarmen-

tosi, et striati, folia cordis figura, mediocria, fructus pentagonus, nigro semine refertus, totidem ordinibus serie disposito, contuso, ac trigono, sed parte superiore orbiculari. Radix est amara, calidaque, et sicca ordine tertio. Folia tusa, illitaque dolori capitis feruntur mederi. Nascitur in calidis *Mechoacanensibus.*

CAPUT CXXXIII.

De TZIPIPATLI.

Herba est dodrantalis, folia ferens sagittarum ferreis mucronibus similia, serrataque, radices tuberculorum forma, fibratas, caules teretes, tenues, purpureos, et laeves, flores veró pilosos, et in pappos abeuntes. Amara est, et tertio gradu calida. Semuncia radicum torrefactarum cum Mayzio, et *Chilli* (sic enim Indis illa uti mos est) bibita ex vino candido *Metl* diarrhoeas compescit; jus verò decocti ejus confert infantibus, qui lac vitiatum suxere, aut ea ratione diarrhoeis apprehensi sunt. Provenit in frigidis, planisque locis *Tahualiuhcani.*

CAPUT CXXXIV.

De TLATLACISPATLI *Huexocincensi, seu medicina tussis.*

Parva Herba est folia proferens serrata, Ocymo similia, minora tamen, et teneriora, caulesque rotundos, et exiles,

florem purpureum promiscuè, ac candidum, modicumque. Acris est, calidaque, et sicca ordine tertio, aut fortassis quarto. Tusa, et ex aqua devorata tussi magnopere confert, et inde suscepit nomen: jus verò decocti ejus asthmaticis opitulatur. Nascitur in calidis, humilibusque locis, seriturque usus gratia in hortis *Ahuexocincensibus.*

CAPUT CXXXV.

De TLATLACISPATLI *altera.*

Radici innititur pollicaris crassitudinis, candidae, ac sensim gracilescenti, raphani more, ex qua fundit caules refertos foliis Olivae, virentibus. Frigida, humidaque natura constat, et sapore insigni nullo. Sitim sedat, pectus, et linguam humectat, tussique confert, unde sortita est nomen.

CAPUT CXXXVI.

De TLATLACISPATLI *tertia.*

Herba est dodrantalis, radicibus insistens fibrarum instar, e quibus fundit caules e viridi purpurascentes sine flore, aut fructu, sed foliis Paronychiae, obrotundis, et parvis. Ius decocti foliorum tussi medetur: unde nomen. Nascitur in montibus *Cópitlanensibus.*

CAPUT CXXXVII.

De TLATLACISPATLI *quarta.*

Radicibus insistit candidis, fibratisque, ex quibus prodeunt caules breves, tenues et teretes, et in eis Lactucae folia, infernè subalbida, et multis distincta interveniis. Amara est, acris, calidaque, et sicca ordine tertio. Radices, foliaque tusa pugilli unius mensura, ac resoluta ex aqua propinantur tussim patientibus. Nascitur in calidis *Tzotzocolci* editis, ac planis locis, modò humentia sint, et aquosa.

CAPUT CXXXVIII.

De TLATLACISPATLI *quinta.*

Non est praecedenti absimilis TLATLACISPATLI *quinta* caule, radicibus, foliisque; sed flores mittit in postremis caulibus cyaneos, et parvos, vasculis oblongis contentos, quae vel nomine teste tussi confert.

CAPUT CXXXIX.

De TETELQUIC, *seu medicina adstringenti.*

Radicibus innititur fibratis, e quibus caules fundit repentes per terram, et in eis Apii hortensis paene folia, et flosculos purpureos. Frigida, siccaque natura, atque adstringenti constat. Tusa, admistaque nitro medetur scabiei; pul-

vis verò per se ulceribus, et foetidum odorem gustata spirat. Provenit *Xalatlauhci.*

CAPUT CXL.

De TETELQUIC *altera.*

Herba est *Huexocincensis*, dodrantem longa, radicibus surculosis, atque rubescentibus extra, intra verò aliquantisper luteis innixa, ex quibus profert exiles caules, scabros, et teretes, ornatos foliis Origani, circinatis, quaternis per intervalla. Radix est saporis, ac odoris insignis expers, et nonnihil adstringens. Nascitur *Huexocinci.*

CAPUT CXLI.

De TETELQUIC *Ytzocanensi.*

Species est Sedi, congener, ut videtur, *Tenapalitl*, sed foliis valde pinguibus, atque minoribus. Nomen invenit a radicis adstrictione, quae radix magna est, frigida siccaque. Folia, ut diximus, adstringenti natura constant, radix non adeo, atque ita drachmae unius pondere ajunt Indi tussi mederi devoratam, ubi tamen a calore orta est, fortassis ob frigus, aut ob partes lenientes, quae solent non raro adstringentibus commisceri; radix enim ex albo rubescit, et in dulcem saporem inclinat.

CAPUT CXLII.

De TECPOYOXOCHITL, *seu Flore praeconis.*

Radicem fundit sensim gracilescentem, et fibratam, unde profert caules, et in eis folia *Itzcunipatli tertiae*, et purpureos Eranthemi flores, ob quorum velut cornua a tergo prodeuntia est fortassis nomen sortita. Nullum usum comperi praeterquam floris apud *Tepuztlanum*, in cujus agro provenit; ubi etiam vidimus Herbam quamdam Salviae adeo similem foliorum forma, odore, et viribus, ut *Tepoztlanicam Salviam* censuerimus appellandam.

CAPUT CXLIII.

De TEUHXONÁN.

Teuhxonán, seu *Heros perstrepens*, radice constat porracea, bulbosa, candenti, dulci, edulique, seu cruda, seu cocta assumatur, foliis Porri, rubroque, et tenui caule, floribus longiusculis, et coccineis referto, digito longiori prolixioribus, cavisque in modum tubuli. Ad Juncorum genera videtur pertinere; nec alius est ejus, praeterquam floris, usus.

CAPUT CXLIV.

De TLAMIAHOALXIHUITL.

Tlamiahoalxihuitl, seu *Herba verticis*, radice firmatur

fibrata, candidaque, unde edit caules sesquidodrantales, et in postremis partibus eorum flores cyaneos, et oblongos, folia saligna, prolixa, et angusta, spinis per intervalla horrentia. Expers est saporis, et odoris, frigidaque, et humenti temperie. Folia tusa, atque resoluta ex aqua propinantur febrientibus duarum drachmarum mensura. Nascitur in frigidis montibus *Huexotzinci.*

CAPUT CXLV.

De TLALXIXIQUIPILLI.

Herbula est foliis longis, et angustis, et radicibus Cyperi. Hae frigidae, et siccae sunt, atque adstringentes. Propinatur jus decocti earum passis diarrhoeas, ac pro hujus gentis more recenter enixis. Nascitur in frigidis collibus *Xalatlacensibus.*

CAPUT CXLVI.

De TLALPETLATL.

Herba est per terram repens, ac fundens caulem purpureum, exilia folia, et flores coccineos. Saporis videtur expers, ac frigefacientis temperiei: cujus gratia repellit tumores, aut in causa est, ut majori eorum parte fugata, residuum facilè aut discutiatur, aut maturetur. Nascitur *Xalatlauhci.*

CAPUT CXLVII.

De TLALPETETLAZOLLI.

Herbula est ramis per terram sparsis, refertis foliis serratis, raris, ocyminis minoribus, ac radice tenui, et fibrata; cujus adhuc nihil memoratu dignum accepi.

CAPUT CXLVIII.

De TOTOMATÒN, *seu parvo Tomatl.*

Caulem quadrangulum fundit, oblonga folia, et florem pallentem. Frigida est, et humida natura, saporisque expers; atque ita fit, ut tumores praeter naturam repellat.

CAPUT CXLIX.

De TECILLIN.

Radices fundit surculosas, et ex eis caules tenues, et purpureos, ornatos parvis, et exilibus foliis, ac modicis quibusdam siliquis, binis per intervalla exorientibus, refertis semine. Radices subdulces sunt, et aliquantisper Glycyrrhizam sapore imitantes, atque adstringentes. Jus decocti earum bibitum, aut infusum coërcet diarrhoeas. Provenit *Hoitzoci.*

CAPUT CL.

De TECILIN *Ytzocanensi.*

Frutex est foliis obrotundis, et purpurascentibus, parvis floribus, siliquisque brevibus, et planis. Frigida radix temperie constat, et adstringenti; mederique ajunt satietati, et ventris dolori.

CAPUT CLI.

De TLATLAHUIZPATLI.

Arbor est magna, foliis Limonis, brevioribus tamen, et magis acuminatis, fructuque parvis pyris simili. Cortex radicis tusus, devoratusque trium drachmarum pondere flatum discutit, tumentem alvum curat, ac intestina expurgat. Amarus enim est, et cujusdam particeps caloris. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT CLII.

De TECOLOTLYATLIA, *seu Herba potante bubonem.*

Arbor est spinifera, foliis subalbescentibus, hirsutis, obrotundis, et mollibus, pomo Mali Punici magnitudine, aspero, duro, atque incondito, et quibusdam velut foliolis de super contecto in Erinacei modum, intra quem latet candens fructus striis in quatuor velut partes divisus, semini-

bus albis refertus, saporis, atque odoris expers, frigidaque, et humenti praeditus natura. Terunt quamlibet hujus Arboris partem, et ex aqua resolutam admovent bis, terve quovis die, atque ita demum ulcera ad sanitatem perducunt. Scabiei etiam medetur eodem modo imposita. Tota itaque Planta frigida videtur, et adstringens, si nucleum excipias, qui humidus potiùs est, ac lenis. Provenit *Tepecuacuilci*, unde ad me apud *Quauhnahuacenses* agentem est devecta.

CAPUT CLIII.

De altera TECOLOTLYATLIA.

Tecolotlyatlia, quam alii *Tecolotlyauh*, seu *aquam bubonis* ob eam, quam in se ipsis excipiunt folia Dipsaci more, vocant, Herba est haud dissimilis *Metl*, sed foliis longè tenuioribus, et angustioribus; caulem profert rubescentem, floribus coccineis utrinque refertum. Planta est visu quidem spectabilis, sed nullo usu, quod cognoverim, commendata.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS OCTAVUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De TOCHOMIXOCHITL, *seu Flore lanuginis rubeae.*

Herba est radici insistens crassiusculae, et fibratae, unde oriuntur caules teretes, tenues, purpureique, folia Salviae colore, sed cordis paene figura, et serrata, flores verò oblongi, rubeique, unde nomen, per intervalla modica, circumcirca caulem a medio ferè ad summum. Nascitur in montibus *Tepoztlanicis*, et quamquam praeter florum gratum aspectum nihil de ea, quod memoratu sit dignum, narrari audierim; cognovi tamen Balloti et forma, et odore gravi similem esse, et pari temperie constare calida,

atque sicca, posseque referri ad ejus species.

CAPUT II.

De TEPETLAXIHUITL, *seu Herba montana.*

Herbula est radici insistens fibratae, unde funduntur caules tenues, teretesque, folia Amygdali, longa, angusta, et serrata, purpurei, ac parvi flores juxta ramulorum extrema, obrotundi, et vasculis virentibus contenti. Odora est, calidaque, et sicca gradu circiter tertio. Alvi dolorem, ventriculique sedare dicitur, flatum discutere, ac mundato ventriculo infusa, aut devorata mederi satietati. Nascitur in calidis, humidisque *Tzompanci* locis.

CAPUT III.

De TEPEMOHUITLI, *seu Arbuscula montana purpurea.*

Arbor est parva, stipites purpureos fundens, folia octona in ramulis postremis acervatim cohaerentia; longa, parùm lata, molliaque, acinos racematim dependentes, Oxyacanthae forma, initio virides, ac postea coccineos, flores verò parvos, et fulvos. Frigida est, et adstringens: quamobrem folia pellunt praeter naturam tumores applicata. Nascitur in calidis *Tzompanci* collibus.

CAPUT IV.

De TLALTETECPAN.

Tlaltetecpan, quae a nodorum, seu globulorum serie nomen accepit, radicem fundit longam, similem funiculis, seu globulis, orbiculisve per intervalla ordine dispositis distinctam, lacte manantem, similemque *Tlalcacaoatl*, de qua suo dicitur loco, candidissimam, dulcem, et nonnihil frigidam, aut temperati caloris, et cortice obductam fulvo, folia verò Graminis, tenuia, et longiuscula. Radices devorantur adversùs febres semunciae pondere. Provenit *Quauhnahuac* acclivibus montium locis.

CAPUT V.

De TLALTEPEZOLIN.

Radices fundit Tlaltepezolin Batatis similes, *Tezonpatlive*, intus candentes, molles, dulces, et edules, extraque lineis candentibus distinctas Coturnicum Indicarum more, quae *Tepezolin* vocantur, unde evenit nomen. Est enim nihil aliud *Tlaltepezolin*, quàm *Tepezolin*, *Coturnixve terrestris*, purpureos flores, et ramos prolixos, ornatos obrotundis, sed in longiusculum acumen desinentibus foliis. Refrigerat, humectatque, quo fit, ut aptissimè medeatur ustis, ac ardores, et nimios aestus comtemperet. Nascitur in calidis *Yohualani* collibus.

CAPUT VI.

De TLILTICPATOLLI.

Volubilis est folia proferens Phaseoli, oblonga, et terna, siliquas magnas, refertas nucleis Haematitae vocatae gemmae perquam similibus, nitentibus, et attacta purpureo tingentibus colore, radicem verò sensim gracilescentem, et fibratam. Pulvis foliorum medetur ulceribus. Nascitur in collibus, calidisque *Yohalani* plagis.

CAPUT VII.

De TLILCOAPATLI *Ytzocanensi, seu medicina Serpentis nigra.*

Radix est crassa, candens, et longa, unde profert caules, et in eis folia Ulmi, quamvis majora, ac siliquas septem uncias longas. Frigefacit radix, adstringitque, et confert febrientibus, ac dysentericis. Nascitur in collibus, et collium lateribus *Ytzocani.* Videtur haec eadem praecedenti, natalibus tantùm differens, aut saltem illi congener.

CAPUT VIII.

De TLILQUAHUITL.

Tlilquahuitl, seu *Arbor nigra*, nomen invenit a nigricantibus foliis, quae Limonis forma viderentur, ni mi-

nora essent, et magis acuminata, caules verò fert laeves, ac purpureos, in nigrum tamen colorem inclinantes, cujus adhuc vim ullam insignem non accepi, praeterquam jus decocti foliorum dolorem ventris tollere, quae gustui initio dulcia videntur, et paulò post aliquantulùm amara. Nascitur hic Frutex in montibus temperatis *Hoeiacocotlae.*

CAPUT IX.

De TLILXIHUITL.

Tlilxihuitl, quam alii *Tlilquahuitl* vocant, radicem fibratam fundit, e qua exeunt caules, et in eis folia Limonis, serrata, verùm multo majora, et quamplurimis distincta interveniis. Tumores praeter naturam pulvis admotus curat, et arthriticis medetur. Jus verò decocti ejus evocat menstrua. Provenit *Huxaquae* provinciae *Tzapotecarum* calidis regionibus, ubi *Yagalana* vocant.

CAPUT X.

De TLILXOCHITL, *seu Flore nigro.*

Volubilis Planta est foliis Plantaginis, sed pinguioribus, et longioribus, viroreque infectis exsaturato, singulis ex utraque parte caulis alternatim exorientibus, ac siliquis longis, angustis, ac paene teretibus, olentibus moschum, aut balsamum indigenam, nigrisque, unde nomen. Calidae hae

sunt ordine tertio, addique solitae *Cacaoatl*, qua ratione, et *Mecaxochitl.* Siliquae binae ex aqua resolutae, et potatae urinam cient, menstrua evocant cum *Mecaxochitl*, partum accelerant, ac secundas, mortuosque foetus trahunt, ventriculum calefaciunt, et roborant, flatum discutiunt, humores crudos concoquunt, atque attenuant, cerebrum fortificant, et utero auxiliantur. Calidis regionibus provenit, humentibusque arbores amplexa, et fructum, hoc est praedictas siliquas verno tempore profert. Adversùs venena frigida, gelidosque venenatorum ictus aedem siliquae dicuntur esse remedio, miscerique adversùs flatum generari solitum ex potione *Cacaoatl*, addito *Chilli*, cui semen fuerit priùs detractum.

CAPUT XI.

De TETLANCHICHIQUI, *seu dentifricio.*

Volubilis genus est magnis radicibus innixum, ex quibus fundit Phaseolorum folia, terna, flores purpurascentes, compositos in corymbos, Lupinorumque, aliorumve Leguminum figura, unde tandem generantur siliquae. Folia sunt frigida, sicca, adstringentia, et expertia insignis saporis, aut odoris. Radix eadem constat natura, sed paulò adstringentiori. Siliquae assae, et impositae oculis medentur malè habentibus. Ajunt etiam devorari

radicem, aut illini folia adversùs corporis tumores.

CAPUT XII.

De TLATLAPACTZIN, *seu Herba lotrice.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, verùm duplò ferè longioribus, angustioribusque, Castaneive, caulibus alterutra parte foliatis. Frigidus est stipitum cortex, siccus, et adstringens, aut temperati caloris. Idem redactus in farinam, inspersusque medetur plagis. Nascitur in calidis, montosisque *Cocolani* locis. Fructum fert globulis precariis crassioribus persimilem, et flores candentes.

CAPUT XIII.

De TEZCAPATLI, *seu speculi medicina.*

Arbor est magna, foliis vitigineis, et stipitibus tuberosis. Liquor candens, frigidusque, et paulisper adstringens, saporisque, et odoris paene expers, permistus lacti muliebri argemata dissipat; cortex verò laevigatus, et inspersus carnem gingivarum restituit, ac dentes firmat. Nascitur in calidis, seriturque in viridariis, et hortulis, et habetur in deliciis, atque in magno pretio ob ejus medicam vim.

CAPUT XIV.

De TEQUEXIHUITL.

Tequexihuitl, seu *Herba ambulacri*, radices fundit capillis similes, caules teretes, longos, et prolixos, folia Pyri figura, mediocris magnitudinis, ac florem modicum, et candentem. Frigida est, succurrit oculis imflammatis, et nascitur *Xochitepeci.*

CAPUT XV.

De TLAPAHOAXPATLI.

Radix est longa, crassa, purpurea, frigidaque, et impensè adstringens, rami duos dodrantes longi, folia Quercus, scabra, subalbida infernè, et minimè serrata, caules extra cinerei, intra candentes, acini in quinque velut partes divisi, referti semine nigro. Jus decocti corticum radicis sistit diarrhoeas. Nascitur in collibus regionum calidarum, velut *Tlaqualtenanci.*

CAPUT XVI.

De TEPEACOCOXOCHITL, *seu Flore montani Acocotli.*

Radices fundit fibris similes, caules fuscos, per intervalla geniculatos, digiti crassitudine, folia scabra, longa, et nonnihil angusta, ac flores magnos, rubescentes ex luteo. Radix calefacit, exsiccatque, et ingratum effundit

virus. Jus decocti radicum ajunt auxiliari dysentericis epotum, aut infusum. Provenit apud *Teocaltzincenses.*

CAPUT XVII.

De TEOTETL, *seu lapide Dei.*

Arbor est magna, racemos fundens quarumdam velut glandium, nucleum durum intus continentium. Frigida constat, siccaque, et adstringenti natura; cujus semen lentibus multis inter se serie quadam cohaerescentibus est simile, folia verò angusta, et longa.

CAPUT XVIII.

De TLALOLOTL, *seu orbiculari Planta.*

Herbula est per terram repens, similis Polygono, ac fortassis ejus species exilis, frigidaeque, et siccae temperiei, ac utilis inflammationibus. Nascitur in frigidis locis, adeoque juxta radices Aetnae Mexicanae.

CAPUT XIX.

De TEQUALPATLI.

Exilis etiam Planta est Tequalpatli, sed amara, calensque, ac sicca ordine tertio. Medetur ulceribus, et eisdem, quibus praecedens, frigidis in locis provenit.

CAPUT XX.

De TEMACMAHAXIXCATZIN, *seu Arbuscula in manus alienas micturiente.*

Arbor est stipites fuscos proferens, folia saligna, craſsa, firmaque, et candicantia infernè, florem latum, et pallentem, fructum verò similem vocato *Ahuacatl.* Calida, et sicca ordine secundo natura constat, gustu odora, amaraque, et nonnihil adstringenti. Ajunt radicem redactam in pulverem mederi intertrigini, et ulceribus pudendorum. Nascitur *Teocaltzinci.*

CAPUT XXI.

De TLAPALHUITZQUAHUITL, *seu Arbore coccinea, et spinosa.*

Frutex est radicem fundens surculosam, magnamque, stipites nigros, contortos, et spiniferos, folia Nummulariae, obrotunda, bina per intervalla, aſsis vulgaris magnitudine, et forma, et flores parvos, et candentes. Radix est dulcis, Glycyrrhizae par, sed paulisper adstringens, pertinensque ad nonnullum calorem. Jus decoctae infusum menstrua immoderatè fluentia sistit. Cor radicis rubrum est, ac ipse frutex, ut diximus, spinosus, unde sortitus est nomen. Nascitur in montibus *Cocolanensibus.*

CAPUT XXII.

De TLAPALQUALONI, *seu Frutice coccineo, et eduli.*

Frutex est radicem fundens magnam, caules septem dodrantes longos, folia *Tetzohatl*, ac florem luteum, et parvum. Cortex, et folia tusa fluentem e vulneribus sanguinem detinent.

CAPUT XXIII.

De TOZPOPOTO, *seu Cozpopoto.*

Tozpopoto, seu *Herba lutea*, et *foetida*, sex cubitos longa est, et foliis *Micat*, oblongis, obtusis, firmis, et minutim serratis, Limoniae Mali, sed obtusioribus, floribus in culmine candentibus, longiusculisque, et comantibus, caulibus subalbidis, radice magna, et candenti, surculosaque. Cortex radicis calidus est, siccusque, nonnihil adstringens, et gustu odorus. Sistit diarrhoeas. Provenit apud *Quauhnahuacenses* in acclivibus montium locis.

CAPUT XXIV.

De TOCHCATIC, *seu Dasypodis Arundine.*

Radicibus firmatur capillorum instar, a quibus profert caules teretes, laeves, ac partim purpureos, folia rhomboide figura, appensa pediculis valde foliatis, luteos flores in ramulis postremis, Tithymalo similes, cadente verò flore

manet semen, primò viride, ac postea nigrum. Frigida natura constat. Medetur inflammationibus. Nascitur acclivibus montium *Quauhnahuacensium* locis.

CAPUT XXV.

De TATACANALTIC.

Herba est radicem fundens longam, sensimque gracilescentem, cui per intervalla appendent orbiculi nucibus juglandibus pares, folia saligna sunt, et flores modici, atque purpurei. Radix est dulcis, et pauci caloris. Pannos apposita discutit, propinatur ad evocandam urinam, et febres contemperandas: sex drachmarum, aut unciae unius devorata pondere alvum leniter solvit, ac bilim vacuat, vetustisque plagis laevigata, et inspersa medetur. Nascitur in collibus *Yacapichtlae*, et *Ocuituci*, nec desunt, qui *Tecauhquilitl* vocent.

CAPUT XXVI.

De TZATZAZTLACOTL, *seu virga orsus.*

Herba est magna, magnis quoque constans foliis, sinuosisque, fibratis radicibus, pennatis caulibus, ac flore luteo, unicoque in summo fastigio caulis. Nonnullum videtur participare calorem, atque ita ferunt tumores praeter naturam maturare. Nascitur in calidis *Yacapichtlensibus* juxta aquas. Aliam eodem nomine vidimus *Atatacci*, floribus luteis, co-

mantibus, sed foliis minimè sinuosis, neque pennatis caulibus, eadem tamen facultate.

CAPUT XXVII.

De TLAQUILIN.

Herba est radici innixa crassae, fibrataeque, unde mittit caules, tres, quatuorve cubitos prolixos, multis alis concavos, folia Solani, sed majora, flores longos, et variis micantes coloribus. Radix frigida constat, humidaque, et lubrica natura; quamobrem devorari refrigerii gratia, illinique solet. Provenit Mexici passim, et in hortis floris, ac deliciarum gratia coli solet. Sunt, qui *Teotlaquilin* vocent.

CAPUT XXVIII.

De TLACHICHINOA *Ocuitucensi.*

Folia fert ampla, et oblonga, rugosaque, et illa Mali Medicae imitantia, flores in summis caulibus spicatos, candentes, *Chian* similes. Odora sunt folia, et tamen frigida, humentique constant temperie, ac febrem passis succurrunt. Nascitur in temperatis, paulòve frigidioribus regionibus juxta fauces montium, et humidiora loca.

CAPUT XXIX.

De TLALAZCAXIHUITL, *seu Herba formicae terrestris.*

Folia fert Libanotidis coronariae, fulvos caules, et flores Chamaemeli. Calida, humidaque temperie constat, ac lubrica natura. Medetur plagis, ac provenit agro *Ocuitucensi.*

CAPUT XXX.

De TEPEXIATL, *seu aqua e colle fluenti.*

Herba est dodrantalis, radicibus capillorum instar innixa, Urticae foliis, serratis, flore candenti, parvo, sapore alterius Sisymbrii, calidaque, et sicca natura. Tumores testiculorum curat, provenitque humidis locis, ac montium fragminibus.

CAPUT XXXI.

De TEPEXONACATL, *seu Cepis sylvestribus.*

Genus est Ceparum, talesque sese odore, et gustu praebent spectandas, formaque, et radicibus, etsi parvae sint radices, nec ponticis nucibus majores; folia etiam sunt Ceparum, sed longiora, et angustiora: caulis est quadratus, purpureus, quaternos prolixus cubitos, et in summo purpurei flores, Ceparum ferè nostratium forma. Mitius est genus nostrate, et acrimoniae minoris: calidae ta-

men sunt, et dicuntur adversùs frigus valere. Proveniunt in montibus *Xochimilcensibus.*

CAPUT XXXII.

De TOPOTL.

Arbor est magna, laurinis foliis, fructu Oxyacanthae forma, et magnitudine simili, sed candenti, dulci, et per maturitatem eduli. Nihil de ea Arbore narratur insigne. Provenit in montosis locis *Tepetlaoztocensibus.*

CAPUT XXXIII.

De TEUHXOCHITL, *seu Flore herois.*

Radicem fundit teneram, et tota Planta duplò longiorem, lacte manantem, intrinsecùs candidam, et extrinsecùs fulvam, et ex hac caules multos, tenues, teretes, lentos, hirsutos, virides, et interdum flavescentes, refertos foliis Ocymoidis, hirsutis, ac flores purpureos, et exiles, paulò ante aestatem emicantes. Provenit gelidis regionibus. Frigida constat natura ordine secundo, et ideo trita, epotaque ex aqua quaternum scriptulorum pondere sitim compescit, linguam humectat, ac lenit, et nimium exstinguit calorem, aestuantique jocinori remedio est. Quin etiam adversùm venena pollet, et eorum perfringit vim.

CAPUT XXXIV.

De TEUHQUILITL, *seu Herba Principis.*

Herba est tenui, ac prolixae insistens radici, extra luteae, intra verò pallescenti ex albo, unde multos promit caules coccineos, teretes, tenues, et lignosos, foliis e quovis nodo ternis exorientibus refertos, Malo Punicae proximis, asperisque, et flores circa ramorum cacumina in corymborum formam compositos, quadantenus coccineos, unde siliquae generari solent parvulae, includentes granula primò candida, et post maturitatem nigra. Epota radix ex aqua trium drachmarum plùs, minùs pondere febrilem calorem sedat; frigidae siquidem est, sed siccae, atque adstringentis naturae; quo fit, ut fluentem quoque alvum cohibeat, et ventriculum ob nimium calorem imbecillem instauret, atque confirmet.

CAPUT XXXV.

De TEPOPOTIC, *seu scopis saxosorum locorum.*

Frutex est radicem agens crassam, magnamque, stipites tenues, rubeos, et longos, flores coccineos, et modicos, et folia Origani, per intervalla obrotunda, tenuia, et mollia. Radix trita unciae unius pondere addita *Chian* sanguineum sputum coërcet, comprimit pectus, medetur convulsioni, et enixarum etiam dicitur corroborare viscera; frigida siquidem

constat, et glutinosa natura. Nomen sortita est a similitudine, quam habet cum scopis, aut quoniam scoparum interdum vices praestat. Provenit verò locis humentibus.

CAPUT XXXVI.

De TENTZONPATLI.

Tentzonpatli, seu *barbata medicina*, Arbor parva est, foliis *Mizquitl*, floribus capillorum forma, rubeis. Frigida, siccaque constat natura. Jus decocti ejus febres sedat, et *Tzocuilpatli* permistum, infusumque emundat intestina, et alvum adstrictam lenit. Nascitur in calidis *Mecatlanensibus*, vitam sumens ex Arboribus, quibus adhaeret, radicibus capillorum forma per intervalla exorientibus.

CAPUT XXXVII.

De TENTZONPATLI Mecatlanensi.

Herbula est foliis exilibus, Musci ferè forma, nascens montosis, umbrosisque, et humectis locis regionis *Mecatlanensis*, quae calida est. Herbula haec tusa, et pugilli mensura devorata ex aqua sedat febres. Frigida enim constat natura, humentique, nec saporem quempiam insignem, aut odorem praefert.

CAPUT XXXVIII.

De TLALQUEQUEXQUIC, *seu Herba adstringente humili.*

Herba est duos circiter dodrantes longa, oblongis foliis parvis, et mucronatis, radice Raphani, candenti, sed majori, et capillata, e qua multi prodeunt caules, teretes, tenues, referti praedictis foliis, floribus juxta caules summos rubeis, et oblongis, quibus decidentibus manent calyculi referti semine. Radix tusa discutit tumores, ac praecipuè pudendòrum, eorumdemque medetur ulceribus. Propinatur conquassatis hominibus, ac pro horum Medicorum more mulieribus recenter enixis ex vino, aut *Octli* pulvis unciae unius mensura. Calida est, humens, et glutinosa, lancinatque os, cujus rei gratia sortita est nomen. Nascitur juxta colles.

CAPUT XXXIX.

De TEPETZOCOTL.

Herba est radicibus insistens surculosis, e quibus profert caules tenues, sarmentosos, et in eis folia hastarum mucronibus similia, *Tlatlancuayae*ve, interveniis secundùm longitudinem discurrentibus, sed tamen majoribus. Radix est gustu odorata, et acris, calidaque, et sicca ordine ferè tertio natura. Jus decocti ejus obstructa aperit, utero confert, discutit flatum, confert enixis, et hujusmo-

di alios praestat usus peculiari respondentes temperiei.

CAPUT XL.

De TZICUNOLIZPATLI, *seu singultus medicina.*

Folia sunt oblonga statim a radice capillata, unde etiam prodeunt cauliculi tenues, foliis vix longiores, quorum summis partibus appendent vascula, exili referta semine. Folia intrita scarabeis, quos vocant *Temolin*, devorantur adversùs singultum felici magna ex parte eventu, et contra pectoris murmura ob jamjam strangulantem pituitam evenientia. Nascitur *Hoeitlalpae* inter saxa.

CAPUT XLI.

De TZOCUILPATLI, *seu medicina movente sternutamentum.*

Radices fundit capillis similes Tzocuilpatli, caules teretes, per intervalla geniculatos, laeves, et pennam anserinam crassos, folia hirsuta, pinguia, et mollia, infernè candicantia, mediocria, oblonga, et sinuosa, vitigineis paene similia, et florem exilem, et album. Acris est, calidaque, et sicca ordine quarto temperie. Ramuli tusi, et devorati ex aqua lassitudinem contractam a labore, evocato sudore, leniunt: succus naribus instillatus pituitam trahit. Nascitur *Hoeitlalpae* editis, ac planis locis.

CAPUT XLII.

De altera TZOCUILPATLI.

Herba est quatuor dodrantes longa, et fibratae insistens radici, unde prodeunt caules, et in eis folia Ocymi, parva, crenata, ac nonnihil sinuosa, flores abeuntes in pappos, summis quibusque caulibus seni, septenive appendentes. Odora est, et quarto ordine calefaciens, et exsiccans. Folia devorata ex aqua pugilli unius mensura dolores capitis, ac totius corporis tollunt, purgantque. Quin glans e radicibus parata, et supposita ventris mitigat dolores, et extergit intestina. Nascitur editis, ac calentibus locis *Papaloticpaci.*

CAPUT XLIII.

De TZOPELICQUAHUITL, *seu Arbore suavi Quauhchinancensi.*

Arbor est magna, foliis Amygdali, longis, et angustis, et surculosis radicibus. Succus est frigidus, siccusque, et aliquantulùm adstringens. Medetur morbidis oculis eventu non spernendo.

CAPUT XLIV.

De TZOPELICTLACOTL.

Herba est duos dodrantes longa, radici innixa surculo

simili, fibrataeque, unde funduntur caules tenues, et in eis folia Ocymi, serrata, et in procursu caulium flores parvi, lutei, spondylorum figura, punctis coccineis interstincti. Folia vocem clarificant, pectusque emolliunt, et extergunt. Nascitur in calidis *Nexpae Totonacapae*, editis, atque humilibus locis.

CAPUT XLV.

De TZOHUAZQUAHUITL, *seu ligno decipulae.*

Herba est sex spithamas longa, radici fibratae inhaerens, unde edit caules teretes, hirtos, laeves, et nonnihil purpureos, et in eis folia oblonga, serrata, ternis interveniis praeter alia minora, quae transversa sunt, secundùm longitudinem procedentibus distincta. Odor est gravis, acris sapor, calidaque, et sicca ordine tertio temperies, non sine quadam amaritudine, et subtilibus partibus. Sistere dicitur diarrhoeas, atque appetentiam sopitam excitare, additis praecipuè aequis portionibus *Chitonyllónitlacotl*, ne memorem alia, quae ex ejus temperie quibusvis innotescent.

CAPUT XLVI.

De TETEPICQUILTIC.

Ita vocata est haec Planta ob radicis duritiem, et asperitatem, qua lapides aequare contingit; pyri forma con-

stat, quanquam in surculum desinat tenuiorem: prodeunt inde caules, et in eis folia longa, et angusta. Radix est aliquantulùm amara, temperataque, aut inclinans in frigiditatem. Febrientibus opitulatur, praecipuè si *Txpapatlahoac* adjunxeris. Provenit *Acolmani*.

CAPUT XLVII.

De TLACUILOLPATLI, *seu medicina depicta.*

Radicem fundit crassam, et longam, caules tenues, et rotundos, geniculatos, et per terram repentes, refertos foliis Polygoni, cui est magnopere similis, floribusque exilibus, albidulis, et semine inter ipsa folia nascenti. Vis est calens, siccaque ultra ordinem tertium, et nonnihil urens. Jus decocti infusum ventris flatu discusso ejusdem dissipat tumorem, et iliacis succurrit affectibus.

CAPUT XLVIII.

De TEPIZTICXIHUITL, *seu Herba firma.*

Radicem fundit digitalem, caules purpureos, et tenues, unde profert folia parva, serrata, et obrotunda forma, illis Adianti quadantenus similia, quanquam minora, florem e pallido rubescentem, oblongum, et vasculo rosaceo paene simili contentum. Radix ejus, cujus est praecipuus usus in medicina, devorata urinam elicit, quacumque retentam ex

causa. Frigida verò, humentique natura constat, atque ideo mensura simili febres exstinguit. Montosis, ac campestribus provenit locis regionis Mexicanae, radixque Septembri mense solet ad usus avelli, atque recondi.

CAPUT XLIX.

De TECOCHITIXIHUITL.

Soporifera est Herba, unde nomen, radices fibratas fundens, e quibus oriuntur caules teretes, et rubei, referti Origani foliis, sectis per ambitum, flores capillorum instar in vasculis oblongis. Saporem inducit temporibus, et vertici cum lacte admota; per se verò frigori capitis medetur, velut et altera ejusdem nominis. Calida est ordine tertio, et odore gravi.

CAPUT L.

De altera TECOCHITIXIHUITL.

Radicem fundit fibratam, et ex ea caules purpureos, folia Lini, longa, et valde angusta, flores in summis caulibus oblongos, et coccineos. Si hujus Plantae folia recipias, adjungasque *Tecochitixihuitl primam*, et *Acoquilitl* aequis portionibus, exprimasque succum, addiderisque parem mensuram lactis muliebris, et fronti eorum, qui ob vehementem ardorem dormiendi impotes facti sunt, mirè somnum

conciliabis. Verùm antequam hujusmodi praesidio utantur Indi, instillant naribus succum *Tlacoxiloxochitl*, ut si quid est humorum in capite, evocetur, corpore in primis succi *Yztauhyatl*, *Chichixihuitl*, et *Tomio* partibus aequis per vomitum expurgato; hic enim succus omnes humores praecipuè per superna vacuare consuevit, si decem unciarum mensura bibendus propinetur.

CAPUT LI.

De TLATLAOLTON, *seu Herba simili Tlaólli.*

Radicem profert cauli parem crassitudine, cubitalem, et capillatam, et ex ea cubitales, ac teretes ramos, folia tenuia, et longa, flosculos purpureos, et exiles in postremis stipitibus, qui admodum tenues sunt. Tusa haec Herba, et mista *Neuhticxihuitl*, et *Coltotl*, redacta in emplastri formam, et ventri admota flatum discutit, ac subsidere cogit ventrem tumentem ob illius redundantiam. Calidarum enim virium esse reperitur.

CAPUT LII.

De TLACOXIHUITL.

Radicem fundit albam, longam, et fibratam, caules cubitales, sarmentosos, folia Dictamni, hirsuta, obrotundaque, infernè albida, et supernè virentia, florem gossypino

velleri parvo persimilem. Radix semunciae mensura bibita ex aqua febres exstinguit. Nascitur in planis regionum calidarum.

CAPUT LIII.

De altera TLACOXIHUITL.

Herba est similis *Tecochitirihuitl primae*, et fortassis ejus species, sed radice crassiore, et foliis crenis crebrioribus, et minùs profundis insignibus.

CAPUT LIV.

De TLAELPATLI, *seu medicamento dysenteriae.*

Caules edit longos e surculosis radicibus, rubescentes ex albo, tenuesque, Myrthi folia, aut Hyperici, flores purpureos, parvos toto caulium procursu. Radices unciae unius pondere devoratae auxiliantur dysenteriis.

CAPUT LV.

De TLALTENTZONPATLI, *seu medicina barbae humilis.*

Foliis constat exilibus, et sparsis per terram, cauliculis tenuibus, brevibus, ac rubescentibus, radicibus fibrarum instar, et pilosis flosculis, calycibus parvis inclusis. Febrientibus auxilio est drachmae unius pondere tusa, atque devorata. Sunt, qui *Tlaltentzontli* vocent.

CAPUT LVI.

De TENTZONTLI.

Inutilis est Medicis Tentzontli Herba, sed visu conspicua, ideoque a nobis *Tepoztlani*, ubi eam offendimus, et descripta, et delineata. Foliis haec constat Coronopi, ac floribus promiscuè universum caulem stipantibus, luteis, longis, et circa summas eorum partes coccineis, canaliculatisque, et e quorum sede media ligulae virentes prodeant. Radices sunt albae, tenues, fibrarum in modum. Sapore insigni caret, frigentemque videtur temperiem praeseferre.

CAPUT LVII.

De TLALQUEQUETZAL, *seu penna terrae.*

Nomen sumsit a foliis pennas avium imitantibus, quanquam ab Hispanis Millefolium vocetur, quod Stratioti Millefolio Antiquorum sit similis. A radicibus similibus fibris multos edit caules, teretes, subrectos, tenues, et quatuor plùs, minùs dodrantes longos, ramulos per intervalla hinc inde prodeuntes, refertos foliis, ut diximus, pennis avium similibus, flores in summis caulibus, postremisque ramis ex albo in luteum tendentes, parvos, et in corymborum formam compositos. Amara est gustu, non sine quadam acrimonia, odora, tenuium partium, et gradu tertio cum sic-

citate calefaciens. Succus ejus epotus urinam ciet, menses evocat, et ventriculum a frigida causa debilem, seu extra admoveas, seu in pulverem redactam propines bibendam, corroborat, et firmat; discutit flatus, diarrhoeas sistit, ulceribus pudendorum medetur, tumores praeter naturam solvit, obstructiones, et potissimùm uteri reserat, coloremque jamdiu languescentem corrigit, et instaurat, tusa, atque emplastri modo imposita scabiem curat puerorum capitibus innasci solitam, exsiccante, extergenteque, qua praedita est, vi. Confert suffitus ejus strangulationi uteri aut in pessario obdita, aut e liquore quopiam convenienti pulvere ejus devorato, partum accelerat, secundas pellit, retinet fluxum alvi, tussimque infantium, et provectiorum bibita curat, nec desunt, qui asseverent succum ejus quinque unciarum mensura epotum purgare per vomitum omnes humores. Quae omnia tam sunt a Stratiote Millefolio Antiquorum aliena, frigidae nempe naturae Planta, ut quamvis sit illi forma persimilis, atque ideo ad illius species fortassis referenda, ab eo tamen viribus longè absit. Tam calidis, quàm frigidis provenit regionibus, totoque anni discursu sponte emicat, circa irrigua tamen foecunda, atque campestria loca. Haberi solet in deliciis, paecipuè a matronis, quae usum maximum, et impensè salubrem ab ea passim uterinorum affectuum oppressae molestiis suscipiunt, seriturque ab eisdem in viri-

dariis, vasisque fictilibus, nigra tamen, pinguique terra substrata, nam et crebra aquae inspersione, et solita domesticorum cura laetior, ampliorque fieri solet.

CAPUT LVIII.

De altera TLALQUEQUEZAL.

Herba est multos caules proferens, distantes inter sese, teretes, breves, ac tenues, funiculo quodam exili juxta radices connexos, quae breves etiam sunt, tenues, et capillatae, et in eis folia ordine utrinque in pennae modum disposita, unde nomen, oblonga, parvaque, et Alsines, aut Myosotae foliis similia. Cujus plantae nullum adhuc usum memoratu dignum accepi.

CAPUT LIX.

De TAMARINDO.

Consuevere Indi Orientales, atque Occidentales, necnon aliae quamplures nationes contra Graecorum, et Latinorum consuetudinem Plantas ipsas relinquentes sine nominibus fructibus tantùm, et floribus nomina imponere, quod in Tamarindorum Arbore videmus evenire; cui cùm nullum contigerit nomen peregrinum, aut fuerit a Mexicanis impositum (nuper enim est ad eas oras translata); fructus tamen ejus non unicum, sed plura sint sortiti. Ita fit, ut Malvari

Puli, Guzarati *Ambili*, et apud Arabas *Tamarindi*, seu *Indi Dactyli* nuncupentur; non quòd haec Arbos Palmae similis sit, aut fructus ejus commercium habeat cum dactylis, sed vel quia ita appellare libuit, vel quòd fructus digitorum quamdam repraesentent similitudinem, etsi crassiores sint, et magna ex parte longiores. Est igitur Arbos Nucis Juglandis, aut Fraxini amplitudine, ramis dodrantalibus, foliolis refertis minutis, ac Rutae similibus, sed longioribus, aut his, quae fert *Mizquitl* vocata Mexicanis, *Hoaxin*ve, aut *Quauhnacaztli*, materie firma, siliquis in digiti incurvi, aut arcus figuram efformatis, quarum cortex initio virens, et post maturitatem est cinereus, et a quo facilè exuatur; fructus nucleis sativo Lupino paulò majoribus, intus contentis, laevibus, et fulvi coloris, quibus abjectis callo utuntur Medici dulcis, acidique, et jucundi saporis. Ea est harum siliquarum natura, ut noctu foliis convolutae sese a frigoris injuriis muniant, atque tueantur, interdiu verò suapte natura explicentur, et e penetralibus foliorum erumpant, ac prodeant. Folia acida sunt, et saporis suavis, atque ita, ubi earum Arborum suppetit copia, in salsamentorum usum veniunt citra aceti auxilium. Frigida, et sicca temperatura constat, bilim concoquit, pituitam incidit, sedat calorem, et praedictos humores, sed potissimùm bilim expurgat. Sunt, qui virentes siliquas corticibus dumtaxat spoliatas, et addi-

to saccharo aegrotantibus praebeant devorandas, feliciore successu, quàm si acetato uterentur syrupo humoribus, sed praecipuè biliosis percoquendis, et ad vacuationem preparandis, alii aqua, aut stillatitio liquore, in quae, cùm aliquandiu maduerint, expressae sint, humorem biliosum expurgant, aut tenuant crassiorem, nec desunt, qui nucis Indicae permistam vocato oleo epotent, atque ita leniter, et tutò vacuentur. Aceti quoque usum praebent, praecipuè maturae, et eorum folia tusa erysipelatis utilissimè imponuntur. Qui in Hispanias, ceterasque Orbis regiones ab Orientalibus deferuntur, sale sunt conditi, nec puri asportantur, ne vitiari, putrescereve maris, longive itineris causa, aut injuria contingat. Fit ex eisdem recentibus adjecto saccharo confectio, qua egregiè, et citra molestiam ullam humores praedicti et concoquuntur, et vacuantur. Ex effigie ergo, quam exhibemus, et vera hujus Arboris imagine ad vivum expressa, atque repraesentata, nostraque descriptione, cunctis patere debet, haberique indubitatum Graecorum Oxyphoenica haud esse censendam Arborem Tamarindorum, cùm verè dactyli non sint, sed siliquae, ut diximus, digitis incurvis similes, quantumque aberrent Arabes, et caligent recentiores ad unum omnes in ejus descriptione, ex qua judicare est promtum, Tamarindorum Arborem nunquam eos oculis, ut nos saepe fecimus, perspexisse. Nascitur jam

juxta *Acapulci* portum, et apud *Quauhnahuacenses*, non longè ab urbe Mexicana, ubi ejus imaginem exprimendam curavimus, dedimusque operam, ut passim sereretur semine, deferreturque ad Hispanias, sperantes, quàm celerrimè uberem hujus nobilis medicinae proventum eventurum.

CAPUT LX.

De TLALAHOEHOETL, *seu Ahoehoetl humili.*

Foliis est ei Abieti persimilis, quam *aquae Tympanum* ideo vocari consueverunt, quod prope aquas nascatur, et tympana *Teponaztli* nuncupata ab eisdem ex ea solent parare. Corticis decoctum tussi auxiliari solet.

CAPUT LXI.

De TLATZCAN.

Vocant Mexicani Tlatzcan, seu *materiem fragilem*, et *vitream* eam Arborem, quam Latini antiquiores, et inter eos noster Plinius Cupressum fusam vocare consueverunt. Hanc ergo insignem Arborem, memoratam a gravissimis auctoribus, a nullo autem, quem noverim, in nostro Orbe visam, delineandam, describendamque statui, tùm qua dictum est, ratione, tum quòd apud hanc Novam Hispaniam, cujus plantas periclitamur, et describimus, est valde familiaris, et frequens quibusque locis, sed praecipuè tempera-

tis, et ad frigus attinentibus. Ergo eadem ei forma, quae vulgari Cupresso, sed patulis ramis, difusis ad latera, et ad inferiora paene prospectantibus, unde nomen. Eadem etiam natura, sed materies odoratior, neque intestinis inutilior operibus. Amat montium cacumina, et acclivia eorumdem loca, jugaque, et excelsos colles jocunda prospectus amoenitate exornat. Fructum fert toto anno vulgaris Cupressi, sed parvum, et ponticis nucibus, quas avellinas quoque vocant, parem. Jus decocti bibitum rigores febrium sedat, ac febres ipsas pulvis ex aqua epotus. Seritur viviradice. Seminavit has Arbores, et diligenter curavit excolendas, habendasque in deliciis *Cuitlahoatzin*, *Iztapalapae* Regulus. Usus verò, et facultates sunt, quae ceterarum congenerum Arborum.

CAPUT LXII.

De TLATZCANTIC.

Radici insistit glandi simili, fibrataeque, unde prodeunt caules coccinei, ornati foliis longis, et angustis, rarisque per ramulorum intervalla, et flores, ut ajunt, fructusque nulli. Frigida est radix, adhibeturque trita cum *Tlaólli* decocto adversùs febres. Nascitur in frigidis, planisque *Chimalhuacani* locis.

CAPUT LXIII.

De TOLOATZIN.

Herbula est longae, tenuique innixa radici, ex qua caulis profertur volubilis, et ramosus, folia Olivae, rara, binaque, ex utraque parte disposita, minora tamen, et ad cuspidem obtusiora, ac subalbida, flores acinosi purpurei, et racematim dependentes. Frigida, et sicca natura ordine constat secundo; quamobrem trita, ac devorata compescit dysenterias, si ex aqua, quoties expediat, assumatur. Est et altera Herba ejusdem nominis, sed ad *Tlapatl* differentias pertinens, de qua suo dictum est loco.

CAPUT LXIV.

De TLALYXAHOAL.

Herbula est proferens tenues cauliculos, ac fulvos, et quoties terram attingunt, radices exiles, et capillis persimiles agentes, ac in eis folia Lenti similia. Ad Paronychiae species videtur pertinere. Frigida, siccaque constat natura, ulceribus putridis, ac depascentibus medetur, sed praecipuè pudendorum: ustionibus confert, et calorem capitum puerorum a sole contractum exstinguit, lippitudineque laborantibus oculis subvenit. Est autem TLALYXAHOAL quod humile est, et fucatum, qualia hujus Herbae videntur folia.

CAPUT LXV.

De TLAMATILOLXOCHITL, *seu Herba confricata, et comminuta.*

Herba est fibratae insistens radici, ex qua funduntur caules, et in eis Ocymi folia, serrata, et in acumen magis tendentia, flores in summis ramis purpurei, in vasculis oblongis contenti, et aggregati in parvas comas. Psoram ajunt curare admotam.

CAPUT LXVI.

De TOCYZQUIUH, *seu Mayzio torrido, et calido.*

Frutex est folia ferens Chamaedryos, serrata, pinguia, et infernè squallentia, hirsuta, aspera, gravi odore, et tertio ferè ordine calida, atque exsiccanti temperie; radicem crassiusculam, fibratamque, et sensim gracilescentem, flores verò oblongos, coccineos, et ternos. Ori uteri appositus uterinos affectus curare dicitur, ac feminas illorum gratia tabescentes sanitati pristinae restituere, et jus infusi foliorum mederi dysentericis. Provenit in vallibus, ac ripis fluminum *Metztitlani.* Sunt, qui adjungant pares portiones Herbae vocatae *Texochitl*, Aspleniive, de quibus suis locis.

CAPUT LXVII.

De TAMALQUAHUITL, *seu Arbore Tamalis.*

Arbor est comata, et magna, amplis foliis, cordis figura, nulliusque usus; quamobrem delineari non permisimus. Nascitur verò montanis, et ad temperiem attinentibus montibus *Hoejacocotlae.*

CAPUT LXVIII.

De TETLYXAHOAL, *seu saxorum ornamento.*

Herbula est innixa radicibus capillis similibus, saxisque adhaerescens, unde nomen, e quibus prodeunt pediculi, et singulis unicum appendens folium, oblongum, et tenuiter sinuatum, altera parte punctis interstinctum, et in auri colorem vergens more Scolopendri, quam et forma, et viribus videtur imitari.

CAPUT LXIX.

De TEXOCHITL, *seu Flore nascente inter saxa.*

Radice firmatur bulbosa, ex qua oriuntur folia Porri, longiora tamen, flores prolixi, et coccinei in summis caulibus forma corymborum. Nascitur *Hoejacocotlae*, ubi nihil insigne de ea narrant; quamobrem minimè curavi delineandam.

CAPUT LXX.

De TEONOCHTLI *Arbore, seu Tuna Dei.*

Nascitur apud *Mistecas* Arbor quaedam fructum Teonochtli vocatum ferens, rubrum, luteumque, optimi, et infrigidantis nutrimenti, hyeme unicolorem, aestate verò varium. Arbor, cùm morbidam aliqua ex causa fieri contingit, tota paene conversa in liquorem perit, ex quo parari solet atramentum; quod verò relinquitur arens, jucundum odorem spirare solet.

CAPUT LXXI.

De TABACIS *Haitinorum, quos Mexicani vocant Pocyetl.*

Tabacos vocant Arundinum cava, perforataque fragmenta, sesquidodrantem longa, pulvere carbonum extrinsecùs illita, intrinsecùs verò *Tetl*, Liquidambaro vocato ab indigenis *Xochiocotzotl*, et interdum aliis quibusdam calentibus plantis, atque odoribus referta: horum incensorum ea parte, qua pleni sunt, fumo ex altera tracto, devoratoque, velut quodam suffimento somnus inducitur, et omnis laboris, atque lassitudinis hebetatur sensus: quin etiam dolores omnes, ac praecipuè capitis sedantur, pituita fluens ad pectus expuitur, juvatur asthmati, pectorique, et corroboratur ventriculus. Cavendus tamen nimius eorum usus; alioqui jecur

distemperiem calidam contrahit, in cachexiinque, et alias affectiones inciditur incurabiles.

CAPUT LXXII.

De TEPARI, *seu crassa Planta.*

Caules fundit longos, teretes, cavos, geniculis per singula quatuor unciarum spatia interceptos, radicem sensim gracilescentem, fibratamque, folia lata, serrata, oblonga, et mucronibus hastarum ferreis similia, spinifera, et pungenti lanugine insignia, velut illa Urticae. Arida haec, tusaque mederi dicuntur ulceribus haud aliter, ac jus decocti radicum ejus, quod epotum dolores quoque sedat, febres placat, et arthriticis medetur cum adipe applicata. Insipida Herba est, odore carens, et frigidae temperiei. Nascitur *Pazcuari*, ubi praedicta sunt Medici de illa testati.

CAPUT LXXIII.

De altera TEPARI.

Radice insistit simili siliquis *Mizquitl*, sed rotundiore, et crassiore, unde profertur unicus caulis, binive, tenues, ac teretes, repentes per terram, et in eis folia Scammonii, velut aurita. Radices sunt internè luteae, et aliquantisper amarae, calidae, ac siccae ordine secundo. Tusa haec Herba, et imposita ventri, inguinibusque sistit diarrhoeas, ac pun-

ctis medetur, et contra Papaveris venenum remedio est. Nascitur in frigidis, et montosis locis *Mechoacanensibus.*

CAPUT LXXIV.

De TEPARI *tertia.*

Frutex est *Mechocanensis*, mittens plures stipites e radice crassa, et surculosa, et in eis folia Amygdali, sed undulata. Radices tusae, illitaeque dolorem corporis, et alvi leniunt, et medentur punctis. Idem praestant tritae, atque ex aqua devoratae. Amarae hae sunt, et calentis temperiei. Nascitur in temperatis *Tacambari.*

CAPUT LXXV.

De TAEDIS.

Utuntur Indi ad hunc usque diem lucernarum loco Taedis, assulisvè ex omni Pinuum genere detractis, nondum ad ignem fovendum cerae, olei, adipisve excogitato usu.

CAPUT LXXVI.

De TLALTECCIZTLI, *seu cochlea parva.*

Folia fundit Armoraciae, Betaeve similia ex radice crassa, et testi taurino simili; caules quatuor dodrantes longos, candidos, et teretes, ac flores in corymborum formam compositos. Aprili mense caulem mittit, et eo decidente fo-

lia. Radix candet, cujus pars interior frigida est, et humida, atque ita succus ejus unciae unius mensura propinatur febricitantibus, felici eventu, etsi nonnihil amarus sit, partesque sortiatur calidas. Cortex verò calidus est, et acris, medeturque ulceribus inspersus.

CAPUT LXXVII.

De TECCIZXOCHITL, *seu Flore cochleae.*

Herba est binos dodrantes longa, fibrata radice, candidaque, ex qua oriuntur caules tenues, teretes, ac ornati foliis raris, longis, et angustis; flores in summis ramis e candido purpurascentes, et in muscarii formam aptati. Tusa haec Herba, atque illita corpori calorem nimium placat. Nascitur in frigidis, humidisque locis *Tototepecensibus* ubique.

CAPUT LXXVIII.

De TECPIOLI.

Genus est Narcissi peregrinum, cujus radix, caulis, foliaque porracea sunt, flores in summo coccinei, frigensque, et lubrica natura. Nomen accepit a flore simili Api ejusdem nominis.

CAPUT LXXIX.

De TECPATLI, *seu medicina glutinosa.*

Herba est magnae insistens radici, ex qua funduntur caules, et in eis folia oblonga, serrata per intervalla, ac praelongis appensa pediculis, et circa summum flores oblongi, purpurascentes ex albo, sed circa mediam orbitam lutei, et calyculis contenti. Radix Pinum resipit, calidaque ordine quarto, glutinosaque constat natura, unde nomen. Pulvis ejus resolutus ex aqua curat tussim, dysenteriis medetur, ac membris quibusque dolentibus fert opem. Amara est, ac saporis acerrimi, quin et Visci ad captandas aviculas praestat usum. Nascitur in frigidis, montosisque locis, et tumores praeter naturam discutit, ac tollit.

CAPUT LXXX.

De TECPATLI *altera.*

Herba est quinque longa cubitos, radice crassa, fibrataque, caule terete, tenui, recto, et sarmentoso, foliis asperis, sinuosis, et oblongis, floribus juxta medium luteis, sed circumcirca purpurascentibus ex albo, contentisque calycibus scariosis. Radix Pastinacam sapit, sed resinosa est, et amara, glutinosaque, unde nomen, calidaeque, et siccae ordine tertio temperiei, et jucundi odoris. Succus radicis

confert pectoris asperitatibus, tussique, et dysentericis miram praestat opem. Ex eadem paratur viscum ad aviculas captandas valde opportunum.

CAPUT LXXXI.

De TLATECPATLI, *seu vulnerum medicina.*

Frutex est tenuibus, fibrisque similibus insistens radicibus, unde prodit caulis teres, ramosus, ac per intervalla geniculatus, et juxta nodos rubescens; ex his verò Persici folia. Cortex redactus in laevorem recentibus plagis medetur citra saniei generationem, unde nomen. Provenit in planis *Copitlanensibus.*

CAPUT LXXXII.

De TECXOCHITL, *seu Flore glutinoso.*

Radici insistit Raphano forma simili, minori tamen, fibrataeque, unde prodeunt caules multi, teretes, et tenues, ornati foliis Myosotae, sed magis acuminatis, et in summis caulibus floribus ternis, parvis, et luteis. Radix est nonnihil amara, frigidaque, aut caloris modici. Bilim dicitur reprimere, ac incidere pituitam semunciae pondere devorata. Nascitur in collibus frigidis *Tenancichalcensibus.*

CAPUT LXXXIII.

De TETLACAXOCHITL.

Ita vocant *Mayzii* spicas granis nudatas. Has ajunt conferre diarrhoeis, a causa calida obortis, et roborandis membris; culmos verò earum cum *Oxitl*, seu *Resina Pinus* ophiasi, esseque mirabile ejus morbi medicamentum affirmant.

CAPUT LXXXIV.

De TETEXQUILITL.

Herba est radicibus firmata similibus capillis, unde profert caules tenues, prolixos, ac teneros, et in eis folia longa, et angusta, salignis proxima, sed prolixiora, angustioraque, flores luteos, oblongos, et in pappos abeuntes. Odora Herba est, edulis, acris, grati saporis, calidaque, et siccâ ordine tertio. Nascitur aquosis locis regionum temperatarum, atque adeo juxta ipsam urbem Mexicanam. Nomen invenit a modo praeparationis cum polenta.

CAPUT LXXXV.

De TETEXQUILQUAHUITL, *seu Ligno Tetexquilitl.*

Radices sunt similes capillis, caules tenues, ac geniculati, folia Salicis, sed serrata, flosculi verò modici, orbiculares, et lutei. Ajunt hanc Herbam citra noxam ullam edi

a feminis, viros verò fieri steriles eadem degustata.

CAPUT LXXXVI.

De TENCUECUETZOCA, *seu Planta mordente.*

Radices fundit tenues, et fibratas, caules purpureos, folia Origani, serrata, sed tamen minora, quaterna, senave. Illinunt eam Herbam ducendis in balneum, ac exacerbationum curandarum causa perpunctis. Nascitur in frigidis *Tototepecensibus*, tam editis, quàm humilibus locis.

CAPUT LXXXVII.

De TLALTECCIZYLACATZIUHQUI.

Radici innititur magnae, Pyri forma, e qua prodeunt cauliculi breves, et in eis folia parva, et virentia. Radix epota semunciae pondere purgat corpus, evocatve sudorem. Ratio nominis fuit radix similis cochleae terrestri contortae.

CAPUT LXXXVIII.

De TLANOQUILONI, *seu expurganti medicamento.*

Radices fundit tenues, et longas, e quibus profert caules plenos foliis Linozostis, necnon vasa trigona, illis Harmellis vocatae haud dissimilia, minora tamen, et nigro referta semine, laevi, et rotundo. Uncia una radicum ex aqua devorata vacuat per inferna humores eorum, qui con-

fracti sunt, corroboratque, et sanat eos, et tamen frigida ajunt constare temperie.

CAPUT LXXXIX.

De TEPECIMAPATLI, *seu medicina Cimatl montanae.*

Radicem fert Pastinacae, candentem, sed extrinsecùs fuscam, aut nigram, lignosamque, folia parva, rotunda, et serrata, caules multos, junceos, purpureos, teretes, breves, et lentos. Dysenterias compescit jus decocti radicum fontanae aquae loco interdiu epotatum. Adstringenti siquidem constat natura.

CAPUT XC.

De TLACALHOÁZPÁTLI, *seu medicina Zerbatanae.*

Frutex est folia spinifera ferens, aspera, serrata, et oblonga, caulem quoque spinosum, et florem magnum ex pallido rubescentem. Radix laevigata, et inspersa medetur ulceribus hispanica lue infectis, devorata verò cum cucurbitarum nucleis eumdem curat morbum. Caelo gaudet temperato.

CAPUT XCI.

De TLALMATLAHOACÁLLI, *seu oneris medicina.*

Radici insistit parvae, ex qua caules funduntur multi, tenues, squallidique, folia Oxyacanthae, magis serrata, et minora, exilesque, et candentes flores. Frigida constat natura, ac febribus vehementibus mitigandis utili, si radix semunciae pondere ex aqua devoretur. Sunt, qui *Tlalaxixquilitl* vocant, *Herbamve humilem*, *aptamque urinae evocandae.*

CAPUT XCII.

De TECÁUHQUILÍTL, *seu Herba saxea sola.*

Species videtur *Tatacanaltic*, et eisdem constare viribus. Verùm folia sunt latiora, atque breviora, adeoque similia amygdalinis. Nascitur *Amaquemecae*, ubi eam curavimus depingendam.

CAPUT XCIII.

De TEPECENÁNAN.

Tepecenánan, seu *sylvestris Mayzii mater*, radicem fundit magnam, caulem virentem, pollicaris crassitudinis, folia *Yetl*, infernè candicantia, et obducta lanugine, supernè verò virentia, ac flores albos in corymborum for-

mam compositos. Radix est amara, calidaque natura, ac medetur satietati.

CAPUT XCIV.

De TZITZIQUIXOCHITL, *seu Flore serrato.*

Herba est brevis, et crassiusculae radicis, ex qua prodeunt caules Chondrillae, rami, et folia Buphthalmi, floresque, sed quorum pars media lutea sit; folia verò circumambientia candida, ac malè composita. Usus est floris.

CAPUT XCV.

De TLÁPATL PAHUATLANENSI, *seu Solano.*

Frutex est stipites fundens longos, vergentes in purpureum, et horrentes spinis, folia lata, et odora, radicem candidam, et teneram, et flores Lilii magnos. Folia tusa imponuntur tumoribus praeter naturam repellendis, etsi nonnihil participent amaritudinis, atque caloris.

CAPUT XCVI.

De TZITZICAZPATLI, *seu medicina Urticae simili.*

Herbula est radici innixa obrotundae, et capillatae, ex qua caules profert breves, et in eis folia Urticae obrotunda, asperaque, sed minimè pungentia. Tusa, et resoluta ex aqua devoratur adversùs casus, ictusque, et subitos, nocturnos-

que timores, cujus etiam rei gratia corporibus solet illini. Flore ajunt carere. Nasciturque temperatis *Quauhtepeci* aquosis, et humectis locis.

CAPUT XCVII.

De TLAXHOIZPATLI, *seu furunculorum medicina.*

Herba est duas spithamas longa, foliis Origani, serratis, coccineis floribus, modicisque, universum caulem ornantibus. Tusa impositaque parvas curat inflammationes, unde nomen. Saporis ferè est, et odoris expers, frigidaque, et glutinosa natura. Provenit frigidis, humidisque *Quauhtlae* locis.

CAPUT XCVIII.

De TLAXNICAQUILITL, *seu Olere tonso.*

Radici firmatur longae, tenui, capillataeque, e qua fundit caules fulvos, ac vitreos, Trifolii pratensis folia, sed pinguiora, quaterna, et odora gustu, flores in summis caulibus similes *Mecaxochitl*, sed tenues. Odora est radix, acris, calidaque, et sicca ordine quarto temperie, et partibus tenuibus, unde possis ceteras facultates conjectari. Tusa haec, et adjuncta *Tohuayantzitzitzicaztli* aequis portionibus tumores universi corporis applicata absumit. Nascitur in calidis *Nexpae*, necnon *Zayulae*, ubi *Tlaxincapatli* vocant.

CAPUT XCIX.

De TEMACOZAHOLIA.

Herba est capillis firmata, unde profert caules tenues, duos dodrantes longos, folia Ciceris, Leguminisve, sed parvula, et flores ex albo purpurascentes, aut cyaneos juxta caules postremos. Frigida, et lubrica natura constat. Nascitur *Tepoztlanicis* montibus. Est et alia Herba eodem nomine, et viribus, forma verò *Tzicatzontecomatl*, inficiens pallido colore manus; necnon alia foliis minoribus, *Mizquitl* similibus, rubeis caulibus, et radice fibrata, sensim gracilescente, fructu verò acinoso, et rubro, scoparum vicem praestans, et flavificans jure decocti admoto capillos, unde invenit nomen, ac tingens pallenti colore attrectantium manus.

CAPUT C.

De TLATETZÁLLI.

Herbula est foliis Rutae, majoribus, caule lanuginoso, et rubeo, candidis floribus, modicisque. Succus foliorum medetur inflammatis oculis. Nascitur in locis calidis.

CAPUT CI.

De TENCACÁLOTL, *seu rostro corvino.*

Radices fundit similes Asphodelo, aut Satyrioni, cujus

est species, et pinguia folia, nervis secundùm longitudinem discurrentibus insignia. Ternae ejus radices tusae, atque ex aqua devoratae exstinguunt febres, ac venerem excitant; praecipuè si aliis medicinis fervidioribus, veneremque excitantibus adjungantur.

CAPUT CII.

De TLALTEZQUITL, *seu Fructu terrestri.*

Folia sunt nostratis Trassi, granaque edulia radicibus adhaerescentia, ac tota, ut opinor, Planta nostrae aut eadem, aut congener. Utuntur granulis a radice propendentibus, quae dulcia sunt, et gustui grata, famis tempore, nec quidquam aliud novi, quod ad usum spectet.

CAPUT CIII.

De TLATLAPÓLTON.

Radicem fundit fibratam, raphani forma, et ex hac ramos laeves, teretes, virore tinctos diluto, ac sex dodrantes longos, in eisque folia Amygdali, oblonga, tenuia, luteumque florem, ex quo generatur semen Malvae simile; nec ullum ejus usum adhuc accepi.

CAPUT CIV.

De TEXCALCOYOTL, *seu Vulpe saxorum.*

Caules profert arundineos, et in eis longa folia, nervosaque. Radix cocta estur. Nascitur in collibus calidarum regionum, ac montium faucibus.

CAPUT CV.

De TEXCALYTZTIC, *seu medicina frigida saxorum.*

Radicibus innititur longis, crassis, et candentibus, e quibus profert caules tenues, et geniculatos, et in eis folia Amygdali, longa, et angusta, flores coccineos, modicos, et vasa oblonga, quibus semen includitur. Sapor est dulcis, ac nonnihil acris: temperies ordine secundo calida. Radices tusae, atque impositae tumores praeter naturam coquunt, et maturant, rumpuntque. Nascitur juxta saxa, unde nomen.

CAPUT CVI.

De TZOPILOXIHOITL, *seu Planta avis, quam Auram vocant.*

Arbor est magna, foliis Verbasci, et odore Chamaeactes, gravi. Sicca, adstringentique constat natura, et nonnihil calenti. Flores fert albos, et oblongos, unde fiunt acini ponticis nucibus paene pares, racematim dependentes. Curat ulcera, et ideo *Palancapatli* a plerisque vocitatur.

CAPUT CVII.

De TETZITZILIN, *seu spinifera Planta.*

Herba est radici innixa crassae, longae, fibrataeque, ex qua mittit caules tenues, et volubiles, multis implexos capreolis, et in eis folia Vitis nigrae, sed interveniis obliquè procedentibus, acinosque racematim dependentes e caulibus, ac fructus alios spinosos, a quibus sumsit nomen, exanthemata, si attrectentur, excitantes. Est et alia hujus Herbae species, sed foliis sinuosis, ac paene vitigineis, fructu oblongo, eduli, viribus cucumeris, atque sapore.

CAPUT CVIII.

De TISIRUQUA.

Herba est *Mechoacanensis*, foliis constans longis, et angustis, surculosis, capillatisque radicibus, unde nomen (TISIRUQUA enim *pili narium Mechoacanensibus* sunt) unde prodeunt caules sesquidodrantales, rubrique, et flosculis vasculis oblongis contentis referti. Tusa haec Herba, atque imposita lateris dolores solvere dicitur, inspersa verò, aut illita dorso ex aqua frigora febrium pellere.

CAPUT CIX.

De TISIRUQUA *altera.*

Radicibus constat fibris similibus, unde prodeunt caules triangulares, et geniculati, folia verò Graminis, angusta, et praelonga. Ad Juncorum genus videtur pertinere. Tusa tota, atque devorata continet diarrhoeas. Nascitur in frigidis, montosisque locis, aut temperatis *Tacambari.*

CAPUT CX.

De TISIRUQUA *tertia.*

Herbula est radici innixa tenui, surculo simili, fibrataeque, unde profert breves cauliculos, stipatos foliolis Lini, longiusculis, et impensè angustis, ac rubeis flosculis. Tusa haec, et illita pectori, ventrique pellit frigora, et ab eis suscitatos curat dolores. Provenit in temperatis *Tacambari*, alisque frigidioribus quibusdam locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXI.

De TZACÁPENI, *seu Herba inter saxa nascenti.*

Herba est radici insistens simili vocatae a Mexicanis *Xicamae*, minoribus quibusdam aliis appendentibus, candidisque; ex his profertur caulis exsaturato virore tinctus, teres, laevis, sesquidodrantem longus, foliaque amygdalinis

paulò majora, flores candentes, ac fructus in summis caulibus Siliquastro Indico similes, referti lanugine, semineque, ut pleraeque aliae hujus siliquae solent. Radix est tenera, acris, et amara, calidaque, et sicca ordine tertio. Tusa, atque imposita medetur praeter naturam tumoribus, ac praecipuè strumis. Nascitur in frigidis *Tacambari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXII.

De TZIQUÍPÉNI.

Herba est humilis, crassa, et fibrata radice, ocyminis, sed minimè serratis foliis, floribus parvis, luteis, et obrotundis circa postremos ramos. Contusae radices, devorataeque unciae unius mensura luem gallicam exterminare dicuntur, necnon pannos, ceterosque tumores, et pectoris dolorem lenire, si oleum, cui sint infrixae, illinatur. Nascitur in locis temperatis *Tacambari.*

CAPUT CXIII.

De altera TZIQUÍPENI.

Herba est praedictae similis, sed radice contorta, ac coccineis floribus, obrotundisque, et coriano, priusquam hient, magnitudine, et forma similibus. Radix tusa, et illita corpori febrem exstinguit. Nascitur *Tacambari* provin-

ciae *Mechoacanensis*, humilibus, aut editis locis.

CAPUT CXIV.

De TITZIHUANGUA.

Radice firmatur raphano simili, e qua prodeunt rami referti foliis Menthae, serratis. Suffitus decocti corticum ejus medetur dysenteriis. Nascitur *Mechoacani* editis, humilibusque locis.

CAPUT CXV.

De TZICPÁETI, *seu lubrica medicina.*

Herbula est *Mechoacanensis*, radicis tuberosae, et fibratae. Cum ramis tusa morbis pectoris, ventrisque imposita subvenit.

CAPUT CXVI.

De PHEXURIQUA, *seu medicina fluxum cohibente.*

Herba etiam est *Mechoacanensis*, lutea, per terram sparsa, foliis parvis, radicibus multis, ac tenuibus, et quae videatur ad Adianti genera pertinere. Dolori ventris illita opitulatur perunctis alvo, ac dorso.

CAPUT CXVII.

De TZIQUARENI.

Herba est radici insistens surculosae, ex qua proferuntur rami tenues, et in eis folia Persici, latiora, et breviora, mollia, et tenuia, flores lutei, parvi, fructus acinosus, racematim dependens, ex quo paratur unguentum additis oleo, sapone, cera, melle, saccharo, ovisque, quod ulceribus antiquis egregiè medetur. Succus autem foliorum morbidis oculis fert opem. Nascitur in frigidis *Mechoacani* regionibus, et pro olere estur; frigida, siccaque natura constat, et videtur ad Solani genera pertinere.

CAPUT CXVIII.

De TZUCURENI.

Radicem fundit crassam, teneram, et fibratam, et ex ea caules multos, et tenues, folia magna, cordis figura, flores, fructumque oblongum, refertum semine. Radix est amara, odora, calidaque, et sicca ordine tertio. Tusa, admotaque, aut devorata dolores sedat, dissipat praeter naturam tumores, flatum discutit, et adstringit laxa. Nascitur in calidis locis non longè a *Tacambaro.*

CAPUT CXIX.

De altera TZUCURENI.

Radici innititur *altera* Tzucureni magnae, et surculosae, intus e candido pallescenti, ex qua fundit caules volubiles, tenues, et per intervalla geniculatos, folia verò hastarum ferreis mucronibus similia. Radix est impensè amara, odora, calidaque, et sicca ordine tertio, et paulisper adstringens, tumores discutiens, ulcera, et dysenterias curans, et dolores sedans haud aliter, ac praecedens, cui hanc esse congenerem conjectari potest, cùm forma, et viribus valde conveniant.

CAPUT CXX.

De TZÁHUENGUENI, *seu Filipendula Mechoacanica.*

Radices sunt illis nostratis Oenanthes similes, sed paulò majores, et fibris refertae, quinae, senaeve inter sese connexae, e quarum singulis unicus prodit caulis refertus foliis angustis, et longis, floribus circa medium luteis, in ambitu verò purpurascentibus. Radix *Copallis* vocati saporem refert, calidaque est, et sicca ordine quarto natura, ac nonnihil amara. Scabiem illitam ajunt tollere, et pustulis ortis a lue gallica mederi, flatum discutere, pellere frigus, sudores evocare, calefacere membra refrigerata, et pectoris

affectionibus conferre. Subtiles partes sortitur, unde quivis possit facilè alios permultos divinare usus a me ob temporis angustiam minimè singulatim enarratos, enarrandos tamen aliquando, si vita Numine propitio suppeterit. Nascitur in frigidis *Mechoacanensibus*, quale est *Pazcuarum.*

CAPUT CXXI.

De TLANELHUATL, *seu radicibus.*

Radicem mittit similem raphano, et ex ea folia Persici, mollia, serrataque, sed latiora, caulem sex cubitos longum, et in eo ex luteo purpurascentem florem. Calida constat natura, infusaque discutit flatum, et alvi inflammationem ortam e flatu tollit.

CAPUT CXXII.

De TZIVA, *Planta Mechoacanica.*

Arbor est rara folia proferens, Limonis, ni minora essent, foliis similia. Radix est amara, calidaque, cujus teneriores surculi immissi auribus medentur surditati. Provenit apud *Mechoacanenses.*

CAPUT CXXIII.

De TEPUZPATLI, *seu ferrea medicina.*

Herba est tres cubitos longa, radici insistens transver-

sae, et fibratae, e qua prodeunt caules geniculati, tres cubitos longi, et in his saligna folia, ac flos exilis, et albus. Lacte manant folia, geniculique, si confringantur, recentibus plagis aptissimo. Nascitur *Xilotepeci* editis, ac planis locis.

CAPUT CXXIV.

De THARÉPEN, *seu Herba amica senibus.*

Herba est sex dodrantes longa, Marrubio similis, radicibus surculosis, foliis argenteis, Menthastro, aut Marrubio similibus, odorisque, quorum insessus, aut suffitus medetur diarrhoeis, potio verò tussi. Sunt, qui permisceant hujus Plantae succum potioni, quam vocant *Atolli.* Nascitur in calidis *Mechoacanensibus*, et campestribus locis.

CAPUT CXXV.

De THIVIMEEZQUA, *seu oculis nigri Sciuri.*

Genus est Volubilis, folia ferens ampla, Mali Medicae forma. Adnascitur summis Arboribus, et emissis deorsum ramis in terram usque descendit. Ajunt radicis cortice unius unciae pondere tuso, atque devorato multa ante oculos obversari phantasmata, mutiplices imagines, ac monstrificas rerum figuras, detegique furem, si quidpiam rei familiaris subrreptum sit; dysenterias adstringi, ac dolores a morbo gallico ortos sedari. Nascitur

Mechoacanensis regionis montosis, et incultis locis.

CAPUT CXXVI.

De TAPINTZIRANI, *seu Ligno globulis precariis parandis apto.*

Arbor est excelsa, obrotundis Veronicae constans foliis, atque mediocribus, spinosis stipitibus, extra cinereis, mox pallidis, interiorique medulla purpureis. Tornant ex eo ligno precarios, quos vocant, globulos, colorum varietate spectandos, aliaque intestina opera, neque est praeterea alius hujus Arboris, quod noverim, usus. Nascitur apud *Mechoacanenses*, atque etiam apud *Mexicanos*, a quibus *Tlacuilolquahuitl*, quod est *Arbor stipitum multicolorum*, vocari solet.

CAPUT CXXVII.

De TETZONPANTLI, *seu Tetzonpantli circa saxa nascenti.*

Tetzonpantli, quam *Mechoacanenses Tzacapeni*, seu *saxorum Plantam* vocant, Arbor est mediocris magnitudinis, stipitibus spinosis, atque rubescentibus, floribus coccineis, et spicatis circa ramos summos, unde fiunt quaedam siliquae purpurascentes, atque includentes intra se semina corallorum forma, et colore: quorum est usus in ludis calculorum loco; foliis verò Pyri magnitudine, et figura. Tusa, atque admota radix inflammationes placat, et tollit.

CAPUT CXXVIII.

De TAHTZIRENI, *vel Tatżumaqua, seu Filice.*

Filicis est species, cujus radix *Zarzaeparrillae* similis est, saporisque, et odoris expers, ac nonnihil glutinosa. Tusa haec, atque ex aqua devorata medetur dysenteriae: folia verò illita corpori ajunt febribus, quas puncta sequi, aut comitari solent, mederi, errore eorum turpissimo, cùm eam vacuationem imperfectam, tentatam tamen a natura, quaecumque ea sit, non debeat Medicus ejus minister impedire, sed potiùs juvare. Nascitur temperatis *Uruapae* regionibus provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXIX.

De TICUÍNITÁHCHAQUA, *seu Mustelae, aut Lacertae cervicali.*

Haec est illa Filicis species, quam aliis in partibus provinciae *Mechoacanensis Terendapo*, seu *rem putridam cum virore in aqua* vocare consuevere. Frigida, adstringentique constat natura, et ulceribus, si eis in farinam redacta inspergatur, est utilis. Jus decocti opitulatur cordi, oleum verò, cui sit infrixa, hepati. Nascitur in frigidis, temperatisque *Uruapae* provinciae *Mechoacanensis* locis.

CAPUT CXXX.

De TENTZONQUILITL, *seu Planta barbata.*

Fructum fert Tentzonquilitl Ricini, cujus videtur species, edulem tamen, ac saporis grati, quo elixo vescuntur indigenae, ac folia etiam Ricini. Nascitur campestribus, atque montosis locis, udisque, neque ad Medicinae usus audio pertinere.

CAPUT CXXXI.

De TETLATIANI *Mecatlanensi.*

Radices fibratas fundit, et ex his caules lenta refertos medulla, geniculatos, tenues, striatos, ac sex cubitos longos, folia lata, et longa, Mali Medicae figura, sed magis acuminata, et flores exiles in summis caulibus racematim dependentes. Folia imposita medentur plagis, ac tumores praeter naturam maturant, et rumpunt. Calida est, siccaque ordine tertio. Nascitur in planis, atque editis locis calidarum regionum.

CAPUT CXXXII.

De CENANATLI *Yacapichtlensi.*

Herbula est radici insistens longae, ac tenui, ex qua profert tenues caules, et in eis folia longa, et angusta, flo-

res orbiculares, et candentes, quaternos, senosve per singulos manipulos. Radix frigefacit, humectatque, et sapore dulci constat. Tusa, et resoluta ex aqua bibitur trium drachmarum pondere ad aestus febriles compescendos.

CAPUT CXXXIII.

De TEOYETLTEMICTI.

Genus est Phaseoli, quo Leones interficiuntur, unde sortitum est nomen. Est et alia Herba nuncupata *Epatlachtli*, praedictae tum foliis, quae terna pariter prodeunt, siliquisque, tum volubili natura similis: verùm foliis, siliquis, ac fructu crassioribus, quae eduntur elixa. Provenit utraque *Yacapichtlae*, lethalis inter segetes, edulis verò in faucibus montium.

CAPUT CXXXIV.

De TEPEOYTZAPÓLLIN.

Tepeoytzapóllin, quam alii *Ezpatli*, alii verò *Yztic* vocant, Herbula est radici insistens surculo simili, prolixaeque, et rubeae, e qua profert caules tenues, et in eis folia tenuia, et longiuscula, similia *Tisiriquae Mechoacanensi minori*. Radix frigida, adstringentique constat natura, ac dysentericis opem ferre consuevit. Nascitur in calidis *Ytzocani*.

CAPUT CXXXV.

De TEPEXIPAPALOTZIN, *seu Papilione saxeo.*

Frutex est parvus, folia ferens mediocris magnitudinis, et cordis figura, flores candentes, et in pappos abeuntes. Amaro sapore constat. Folia tusa, devorataque ex aqua, aut epotatum decocti ejus jus medetur satietati. Calida est ordine tertio, et nonnihil humens. Nascitur in saxis apud agros *Ytzocanenses.*

CAPUT CXXXVI.

De TLAZALXIHUITL, *seu Herba glutinosa.*

Volubilis est per terram repens, ternis foliis Balloti similibus, quibus nonnulli vesci solent. Folia sicca sunt, frigidaque, et adstringentia. Abortum haec resoluta ex aqua, atque devorata, aut jus decocti eorum epotatum coërcet. Nascitur in calidis, ac frigidis, editis, ac planis locis.

CAPUT CXXXVII.

De TLAZALPATLI, *seu medicina glutinosa.*

Radici insistit raphano paene simili, unde profert caules teretes, tenuesque, et nonnihil, velut et folia, pallescentes, quae sinuosa sunt, oblonga, incisa per ambitum, et Imperatoriae vocatae quadantenus similia. Glutinosa natura constat, ut nomen indicat, calidaque, et sicca ordine tertio, ac sa-

pore amaro; et ideo apta est admota, aut devorata quibusque defluxionibus sistendis, et abortui quoque coërcendo.

CAPUT CXXXVIII.

De TENAMEIZTZIN *Ytzocanensi.*

Herba est exilibus ramulis constans, angustis foliis, et longiusculis, hirsutisque, et floribus luteis. Frigida, et adstringenti natura constat; confertque quamplurimùm ulceribus, et scabiei.

CAPUT CXXXIX.

De TOPOYAN.

Arbor est magna, foliis latis, magnis, serratis, asperisque. Ulceribus gingivarum a calore profectis medetur, orique inflammato jus decocti ejus, aut foliorum succus, ipsave commansa folia, quae frigidae temperiei sunt. Nascitur *Quauhquechullae.*

CAPUT CXL.

De TIHUATI.

Radix est rotunda, et rubescens, unde profertur caulis ramosus, tenuis, et volubilis, folia verò *Xoxocoyolin* magna, serrata, et nisi in latera protuberarent, rotunda, ac flores coccinei, exilesque. Radix sesquidrachmae pondere hydropicos, cachecticosque purgat, et sanitati restituit. Na-

scitur in frigidis montibus *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXLI.

De TUBULATA *Herba.*

Herba est multis insistens radicibus, orbicularibus, connexis inter se, et globulis precariis similibus, unde assurgunt caules dodrante paulò longiores, hirsuti, et asperi, atque in eis folia scabra, subalbida, serrata, et oblonga, quibusdam aliis minoribus parvis ramulis, qui ab eisdem exortibus oriuntur, apendentibus; flores verò oblongi, coccinei, hispidique, cristis, aut tubulis similes, unde nomen. Verrucis fertur mederi, et sapore insigni caret. Provenit *Uruapae* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXLII.

De TEUHXOCHITL, *seu Flore Principis.*

Radicibus firmatur surculosis, unde prodeunt caules sex cubitos prolixi, teretes, et purpurei, referti foliis vocatae *Servenciae*, toto caulis procursu, et in postremis partibus floribus parvis, et luteis. Calida est, siccaque ordine tertio, et amari saporis. Radix semunciae pondere trita, atque ex aqua devorata bilim coërcet. Nascitur in frigidis *Tenancichalcensibus* juxta colles.

CAPUT CXLIII.

De TETECHMOMATIANI, *seu medicina amoris.*

Visci est genus Arboribus innascens, ac praecipuè *Hoaxin*, et *Atoyaxocotl*, foliis Mali Punici, luteis floribus, oblongisque, et fructu rotundo, primó viridi, ac tandem glutinoso. Frigida, siccaque constat natura. Tumores repellit, et febres illita sedat. Ajunt etiam redactam in pulverem, et adjectam *Tlapatli* amorem conciliare. Nascitur *Chietlae.*

CAPUT CXLIV.

De TLACOCHICHIC *Ytzocanensi.*

Volubilis Planta est impensè amara, foliis Pruni, sed latioribus, quae *Xomilquahuitl* admista discutit capitis tumores.

CAPUT CXLV.

De TONALXIHUITL *Mexicensi.*

Herba est sesquicubitum longa, radicibus fibratis innixa, quae folia profert similia Myosotae, majora, flores verò exiles, et coccineos. Frigida sunt folia, lubricaque; radix verò adstringens dysenterias egregiè coërcet. Provenit in agro Mexicano.

CAPUT CXLVI.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tototepecenſi.*

Herba eſt proferens caules quatuor dodrantes longos e radice ſurculoſa, et in eis folia Salviae, ſubalbeſcentia, et majora, ſerrata per intervalla, et luteos flores. Calida eſt radix, acriſque; medetur pectoris dolori epota ex aqua duarum drachmarum pondere. Naſcitur in calidis juxta fluminum ripas.

CAPUT CXLVII.

De TLAELPATLI *Tototepecenſi.*

Naſcitur in calidis, et campeſtribus locis juxta aquarum defluxiones, et e radicibus exilibus profert caules tenues, et volubiles, et in eis folia obrotunda, exiliaque, ac florem, ut memorant, nullum. Radix tuſa, ac devorata ex aqua drachmae unius pondere dicitur prodeſſe dyſentericis; frigida ſiquidem eſt, et lubricae naturae.

CAPUT CXLVIII.

De altera TLAELPATLI *Tototepecenſi.*

Radicibus inſiſtit fibratis, unde profert caules tenues, tereteſque, et ſeſquidodrantem prolixos, ornatos foliis raris, ſimilibus amygdalinis, luteiſque, ac modicis floribus. Radix frigida, ſiccaque videtur conſtare temperie, et dyſenterias

cohibet. Nascitur in calidis, planisque locis juxta humorem, et fluminum ripas.

CAPUT CXLIX.

De TOCPATLI.

Arbuscula est nascens in planis, calidisque locis, surculosis innixa radicibus, unde oriuntur stipites, et in eis folia sylvestris Raphani, magna, serrata, hastarum mucronibus haud dissimilia, ac flores candentes. Radix calefacit, exsiccatque ordine tertio, acris, odora, et nonnihil adstringens. Medetur gallico morbo jus decocti foliorum, et radicum ejus, sive bibatur, sive erumpentibus tuberculis applicetur: qua radice ego libentiùs uterer, modò frigidi essent, et tenaces humores, quales solent per eos morbos magna ex parte dominari, quàm ceteris plantis, quarum est usus apud Indos, et Hispanos, ad praedictum affectum curandum. Eadem radix tusa, illitaque splenem comminuit, et pristinae restituit sanitati.

CAPUT CL.

De TEXIHUITL *Tototepecensi.*

Radicem mittit capillatam, unde eduntur caules tenues, teretesque, et paulò dodrante longiores, foliis longiusculis, et angustis referti, ac purpureis, et parvis floribus. Folia sunt

frigida, lubricaque natura: quamobrem sesquidrachmae pondere devorata medentur dysenteriis. Nascitur in calidis, planisque locis juxta flumina.

CAPUT CLI.

De TECUICICAMOTLI *Tototepecensi.*

Radicem fundit magnam, candentem, et teneram, ac manantem succo, unde mittit volubiles caules, et Hederae folia, flores exiles, et triangularem, spicatumque fructum. Radix est lubrica, frigidaque, et nonnihil lancinans. Eadem tusa, et illita curat praeter naturam tumores. Nascitur in calidis, et montosis locis.

CAPUT CLII.

De TLATLACIZPATLI *Tototepecensi.*

Radix est longa, ac pennam anserinam crassa, unde prodeunt caules tenues, et volubiles, et in eis folia cordis figura, et parva, et fusci flosculi. Amara est, et secundò calefaciens ordine, dulcis, et aliquantisper resinosa. Tussi medetur radix tusa, ac sesquidrachmae pondere devorata. Nascitur in collibus calidis.

CAPUT CLIII.

De tertia TLAELPATLI *Tototepecenſi.*

Herbula eſt radici inſiſtens parvulae, oblongae, et candenti, ac multis granulis velut concinnata, unde oriuntur cauliculi tenues, breveſque, et in eis folia ſerrata, oblonga, et argentea infernè, ac coccinei flores, modicique. Frigida, ſiccaque, et adſtringenti conſtat natura, et adverſa dyſenteriis. Naſcitur in calidis juxta fluvios.

CAPUT CLIV.

De TUZPATLI.

Radix eſt rotunda, nucis ponticae magnitudine, fibriſque referta tenuibus, et cyanei coloris: unde prodeunt pediculi tenues, et in eis folia ſinuoſa, et Polypodio paene ſimilia, ſed minora, et virentiora, et flos, ut ajunt, nullus. Radix eſt acris, odora guſtu, calidaque, et ſicca ordine circiter quarto, ſubtiliumque partium. Curat haec impetigines, pannos, furunculos, et gallicum vocatum morbum, et alios diſcutit praeter naturam tumores radix applicita, atque devorata, aliiſque morbis ſuccurrit, quos facilè ex praedictis viribus quilibet methodo quadam deprehendet. Egregia videtur Planta, et qua nullis eſſet carendum officinis. Naſcitur in planis, editiſve, ſed calentibus locis *Tototepecenſibus.*

CAPUT CLV.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tototepecensi secunda.*

Arbor est magna, temperatarum regionum, ac fluminum incola, folia ferens Mali Medicae, sed majora, flores parvos, et candentes, et stipites laeves, teretesque, acres, et Ligusticum olentes. Calida, siccaque ordine circiter tertio temperie constat. Folia drachmae unius pondere trita, atque devorata, illitave dicuntur pectoris, aut ventriculi placare dolorem. Nascitur temperatis locis juxta fluminum ripas.

CAPUT CLVI.

De TEMECAT *Huaxtepecensi.*

Volubilis est foliis Hederae proximis, ac fructu pentagono, mediocris magnitudinis, cochlearum generi simili, ac forma spectabili. Dulcis est, et ad temperiem spectans. Fructus lacte manat, frigenti, ut apparet, et glutinoso.

CAPUT CLVII.

De TEHOATZALIZPATLI.

Ophioglossi videtur alia species; unicum enim folium fert oblongum, lineisque recta procedentibus, et exilibus Lanceolatae vocatae instar distinctum, unicum caulem, ac radicem unicam, candentem, manantem succo, ac nucibus

ponticis forma, et magnitudine parem, et florem candentem etiam unicum. Radix est frigida, et lubrica, etsi nonnullam amaritudinem participet, et cucumerem sapiat. Eadem tusa, atque ex aqua devorata medetur hecticis. Nasciturque in frigidis collibus *Ygualapae.*

CAPUT CLVIII.

De NEIZOTLALIZPATLI, *seu medicina compescente vomitum.*

Radicem fundit tenuem, et capillatam, unde profert caules tenues, teretes, et volubiles, et in eis folia rara, sagittarum ferreis mucronibus similia, undulata tamen, et ampliora, albosque flores. Nonnihil amara est, calidaque, et vomitum coërcet, unde nomen. Nascitur in montibus calidarum regionum, qualis est *Ygualapa.*

CAPUT CLIX.

De TEOPATLI.

Radices fundit haec Herba fibrarum instar, unde mittuntur caules foeniculacei, et in eis folia Mali Medicae, sed latiora, fragiliaque, et flores exiles, et candentes in vasculis. Radix est acris, calidaque, et sicca ordine ferè quarto. Jus decocti radicum tussi medetur, ac doloribus ortis a gallica lue. Nascitur in calidis *Ygualapae* juxta fluminum ripas.

CAPUT CLX.

De TLACHINOLTOTONQUI.

Herba est radicem fundens pollicarem, et inde caules volubiles, folia per intervalla terna, crenata, et Ilicis foliis quadantenus similia, et flores coccineos. Frigida est radix, et nonnihil amara, ideoque erysipelatis dicitur mederi. Naſcitur in littore maris Australis.

CAPUT CLXI.

De TLAELPATLI *Ygualapensi.*

Arbor est juxta occeani Australis naſcens littora, foliis obrotundis, mediocris magnitudinis, sed in acumen desinentibus, et floribus luteis, modicis. Cortex est frigidus, et sanguine manans, siccus, et adstringens: medeturque dysentericis jus decocti ejus, quomodocumque libeat admovere.

CAPUT CLXII.

De TLACOPATLI.

Herba est radici insistens surculo simili, unde mittit caules refertos Leguminis foliis, dispositis ordine, sed paulò longioribus, floresque spicatos, et purpureos. Radix est adstringens, et nonnihil amara, folia verò admodum lubrica. Radix drachmae unius devorata pondere dicitur lumbricos pellere. Nascitur in montibus calidis provinciae *Ygualapensis.*

CAPUT CLXIII.

De TLACOTEQUILIZPATLI.

Arbor est foliis Olivae, acuminatisque, et purpureis floribus, frigida, siccaque, et adstringens. Cortex tusus dicitur lateris sedare dolores, si pectori applicetur. Nascitur *Ygualapae*, ubi sunt, qui *Macuilyzhuatl* vocent.

CAPUT CLXIV.

De altera TLACOTEQUILIZPATLI Ygualapensi.

Radicibus insistit surculosis, unde profert caules ornatos foliis Ocymi, sed majoribus, ac floribus, ut ajunt, nullis. Amara Herba est, calidaque, et sicca ordine secundo. Folia tusa, et dolenti loco admota, aut unius drachmae pondere devorata curant lateris dolorem. Nascitur in calidis, planisque locis juxta occeani australis littora.

CAPUT CLXV.

De TEPOLQUAHUITL.

Arbor est magna foliis Mali Medicae, sed majoribus, acris, calidaque ordine feré quarto natura, sed humida, et impensè salivosa. Nuclei fructus (qui orbicularis est, et capulis quibusdam contentus) tusi, et applicati tumores praeter naturam maturant, et rumpunt, ac quidquid infixum est, extrahunt; quòd si venenatum sit, adversantur etiam veneno. Nascitur *Ygualapae.*

CAPUT CLXVI.

De TEQUANXOCHITL *Ygualapae.*

Frutex est Mali Medicae folia ferens, odora valde, et fructum orbicularem juxta singulos foliorum exortus, semine plenum. Inservit odoribus, fructus verò devoratus contra ictus scorpionum. Nascitur in locis temperatis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS NONUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De TEIZOTLALTI, *seu vomitum ciente Planta.*

Herba est radici fibratae insistens, unde prodeunt caules, et in eis folia paene ocymina, circinata, et interdum terna, subnigra supernè, infernè verò subalbida. Nonnullam praefert haec Herba amaritudinem, urit guttur, et calida, siccaque ordine tertio videtur praedita natura. Cortex radicis, qui crassus, succo plenus, ac tener est, unciae unius pondere devoratus pituitam, bilimque vacuat per superna, atque adeo quidquid ventriculum gravat; propinarique solet etiam febrientibus. Nascitur agro *Tepexi-*

censi Mistecae inferioris, qui spectat ad temperiem.

CAPUT II.

De TEPOXOCHITL, *seu Flore alieno.*

Radicem agit tenuem, et longam, unde prodeunt caules per terram serpentes, obrotunda, mediocria, et acuminata folia, et spicati flores, luteique. Dulcis est radix, et moderati cujusdam caloris; atque ita tumores praeter naturam, inflationesque dicitur solvere. Nascitur temperatis *Tepexicensibus.*

CAPUT III.

De TLALHUITZAPOLTZIN, *seu Planta humili, spinosa.*

Herbula est radicem fundens longam, rubram, tenuem, ac crasso cortice vestitam, unde proferuntur folia rutaceis similia, sed angustiora, hirsutaque, et flosculi stellati, et pallentes. Radix frigida, et sicca est, atque impensè adstringens: quamobrem jus decocti ejus, loco fontanae aquae bibitum, medetur quibusvis defluxionibus, cum distemperie calida praecipuè conjunctis, et capitis doloribus, si eo lavetur: pulvis verò ejus conglutinat vulnera. Nascitur in temperatis *Tepexicensibus.*

CAPUT IV.

De TLALMECAXOCHITL, *seu humili fune.*

Radicem agit longam, digiti crassitudine, ac crasso cortice vestitam, firmamque, et flores candentes rosae magnitudine, aut majores; folia verò cordis figura, et mediocria, hispidaque, et infernè subalbida. Radix est nonnihil amara, etsi deinde videatur subdulcis; calefacitque, et exsiccat ordine secundo. Floret Julio. Radix resoluta ex aqua, et unciae unius pondere epota quotidie, medetur inflationibus. Nascitur juxta montium cacumina, aut aquarum fluenta regionis *Tepexicensis.*

CAPUT V.

De TLALNANANTZIN, *seu matre humili.*

Allatus est ad nos ramus e *Tepexicensibus*, *Manantzin* apud eos nuncupatus, adeo similis *Nantzixocotl*, de qua suo loco dictum est, forma, et temperie, ut ni folia essent minora, idem prorsus videretur. Cujus tamen rei, ut, si quidpiam esset inter eas plantas differentiae, non lateret Lectores, admonendos illos putavimus. Nascitur in agro *Tepexicensi.*

CAPUT VI.

De TEMECATZIN, *seu Volubili parva.*

Radicem agit similem *Camotl*, supernè nonnihil pallescentem, et intus viridem, non sine aliis surculo similibus; unde profert caules, et in eis folia tenuia, et sinuosa, flores verò exiles, et luteos. Radix est odore gravi, salivosaque, ac frigida, et humenti natura. Febribus dicitur mederi semunciae pondere devorata. Nascitur *Tepexici.*

CAPUT VII.

De TLACHINOLXOCHITL, *seu Flore ustulato.*

Herba est radices fundens multas Asphodelo similes, molles, albas, et plenas succo, et a quibusdam velut funiculis propendentes, unde prodeunt caules teneri, aliquantisper rubescentes, ornati foliis longis, angustisque, hirsutis, et subalbescentibus, floribus verò, ut referunt, ex viridi in colorem tendentibus cyaneum. Videtur Satyrionum species. Radix sortitur partes acres, calidasque, et siccas ordine tertio, quanquam frigidis aliis, humidisque permistas. Medetur strumis, inflationibusque applicata. Nascitur in planis, editisque locis agri *Tepexicensis.*

CAPUT VIII.

De TANAXOCHITL, *seu Flore Petlatl parvi.*

Arbor est magna, foliis ornata oblongis, parvis, Ocymo similibus, floribusque luteis, parvis, et oblongis. Cortex radicis, qui nonnihil ruber est, resolutus ex aqua, et semunciae pondere potatus purgat pituitam. Amarus est idem, et lubricus, calidusque, et siccus ordine tertio. Nascitur juxta flumina, et colles agri *Tepexicensis.*

CAPUT IX.

De TEPEHUEXOTL, *seu Salice montana.*

Arbor est foliis salignis constans, sed latioribus, frigida, siccaque, et adstringenti radice, et erysipelatis utili, si cum aliis Plantis ejusdem temperiei misceatur. Nascitur in agro *Tepexicensi.*

CAPUT X.

De TLANPATLI, *seu dentium medicina.*

Herba est folia ferens Cucurbitae, vitigineave. Radix est frigida, siccaque, et adstringentis saporis. Liquor stillans ab incisis foliis applicitus curat dentium dolorem: radix verò recenter enixis mulieribus dicitur mederi. Nascitur *Tepexici.*

CAPUT XI.

De TZONCOLTZIN, *seu contortis crinibus.*

Radices profert ustulatas externè, intra verò candentes, raphani forma, sed longè breviores, neque adeo gracilescentes juxta extrema; unde prodeunt caules lignosi, dodrantales, ornati foliis Olivae, sed longè angustioribus, et minoribus. Radix est dulcis, ac gustu grata, frigida, et humida temperie, aut temperatè calenti. Nascitur *Tepapayecae* temperatis in collibus, floris, ac fructus, ut narrant, expers.

CAPUT XII.

De TLATLACOTIC *Tepexicensi.*

Herbula est foliis Lini, longiusculis, et angustis, parvisque, in collibus, campestribusque *Tepexicensibus* emicans, floribus parvis, et candentibus, et radice prolixa, et tenui. Frigida, et humida temperie constat, et puerorum febres devorata sedat, aut infantium ori ex gossypino vellere instillata.

CAPUT XIII.

De TEOXOCOTL, *seu Pruno Dei.*

Arbor est ad Prunorum Indicarum species pertinens, ac Ocymi proferens folia. Radix est frigida, sicca, et ad-

stringens. Nascitur apud *Tepexicenses.*

CAPUT XIV.

De TLALOCOXOCHITL, *seu Flore humilis Pinus Tepexicensi.*

Herba est radices fundens contortis funiculis similes; unde proferuntur caules, et in eis folia Lini, longa, parva, et angusta, ac semen Thlaspi, cujus species videtur. Radix, quae dulcis est, calida, humidaque, et pectoris amica tussi medetur. Nascitur in collibus *Tepexicensibus.*

CAPUT XV.

De TZOPELICPATLI *Tepexicensi.*

Radicem fundit longam, et tenuem, folia Ocymi, sed circinata. Radix est dulcis, medeturque unciae unius mensura devorata his, qui febrem patiuntur.

CAPUT XVI.

De TLACACEHUAZTLI, *seu flabello Tepexicensi.*

Radicem fundit longam, et tenuem, fibratamque, folia longa, et angusta, et flores luteos. Saporis videtur, et odoris expers, frigidaeque, et humidae temperiei. Curat tumores praeter naturam, aliò nempè repulsis humoribus.

CAPUT XVII.

De TECUZAHUIZPATLI, *seu medicina plumbi combusti.*

Frutex est foliis constans Veronicae, orbicularibus, hispidisque, ac velut corrugatis in granula, et asse vulgari minora. Cortex radicis flavus est, cor verò candidum: sapor aliquantisper dulcis et salivosus. Flores cessantibus imbribus profert, qui lutei sunt, ac modici. Radix semunciae pondere ex aqua epota medetur ictero, dysenteriaeque. Nascitur apud *Mistecam* inferiorem.

CAPUT XVIII.

De TLAPANIZPATLI.

Herba est Urticae constans foliis, sed per intervalla quinis, et floribus coccineis, magnis. Radix resinosum praefert saporem, caloremque, et siccitatem ordine secundo. Dulcis est, et succo manans. Ajunt convulsioni mederi, si binae radices, quae pendeant uncias circiter duas, devorentur ex aqua, illinanturque, et dolores capitis sedare. Nascitur locis temperatis *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT XIX.

De TLAXUTLALIZPATLI.

Radices profert Herba haec fibris similes, intus candi-

das, extra nigras, unde prodeunt caules per terram serpentes, ornati foliis Gramini similibus, sed valde longioribus, tenuioribusque, et nullis floribus. Radix est subdulcis, et nonnullius caloris. Radices, ac folia tusa semunciae pondere, devorataque, aut illita medentur alvi, et pectoris doloribus. Nascitur in temperatis collibus *Mistecae* inferioris, ubi vocatur *Tuhu.* Aliam Herbam huic valde similem vidimus apud *Huaxacenses*, sed Asphodeli insistentem radicibus, et nuncupatam ab indigenis *Tlalcacaoatl*, quam ajebant mederi febribus, punctis, et cuivis alii aegritudini ortae a calore.

CAPUT XX.

De TLALHUACIMAPATLI.

Radicibus insistit longis, tenuibusque, et surculis similibus, unde oriuntur caules tenues, teretes, et volubiles, ac in eis folia Mali Punicae, terna, per intervalla. Medentur radices dysentericis semunciae devoratae pondere. Nascitur in calidis, planisque *Mistecae* inferioris locis circa fluminum, aut rivorum littora, necnon *Tetellae*, ubi ajunt sudore evocato drachmarum trium pondere lenire dolores.

CAPUT XXI.

De TECOLOPATLI, *seu radice Scorpii.*

Herba est radices fundens pollicares, longas, folia Ur-

ticae, subalbescentia, hirsuta, ac scissa per ambitum, et coccineos flosculos. Radix est nonnihil amara. Curat tumores, ac alvi inflationes semunciae pondere devorata matutino, illitaque. Nascitur in calidis collibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXII.

De TLAELPATLI, *seu medicina dysentericorum.*

Herba est radici adhaerens longae, digitalis crassitudinis, unde proferuntur caules multi, tenuesque, et spithamam ferè longi, referti Veronicae foliis, obrotundis, serratis, parvis, et fructu piperi longo simili, sed digiti transversi crassitudine. Radix est frigida, siccaque, et impensè adstringens. Eadem semunciae pondere trita, atque devorata coërcet dysenterias, et quidquid nimiùm fluxile est, et egens adstrictione; ulceribusque medetur. Nascitur juxta flumina calentibus in locis *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXIII.

De TLATLACISPATLI, *seu tussis medicina.*

Herba est folia ferens parva, et oblonga, obtusa, Origano similia, et florem nullum. Curat catharrum radix illita pectori, et nonnihil succi ejus gutturi intrinsecùs admotum, sed minimè devoratum, ter, quaterve singulis quibusque diebus. Amara enim est, et subdulcis, calidaque, ut vide-

tur, siccaque tertio gradu natura. Nascitur in collibus temperatis *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXIV.

De TZOPELICPATLI *Acatlanensi.*

Herbula est tenui insistens radici, unde oriuntur caules, et in eis folia Origani. Frigida videtur, humidaque, et saporis alicujus insignis expers, et tamen ventris dolorem sedare ajunt, mederique ei, qui e terrore, ex quo perterritus sit, sensim contabescat, si ejus suffiatur vapore; ita enim inquiunt sudore excitato sanitati restitui: adversùs dolorem alvi conferre praedicant folia semunciae mensura tusa, atque devorata. Nascitur in temperatis, atque campestribus locis agri *Acatlanensis.*

CAPUT XXV.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Acatlanensi prima.*

Herba est radicibus adhaerens parvis, atque capillatis, unde proferuntur caules tenues, teretes, laeves, et nitidi, ornati foliis longis, et angustis, modicis, sed Dracunculi forma, altera parte viridibus, altera argenteis, flore verò, fructuve, ut audio, nullo. Sapor est velut amygdalarum amararum, aut nucleorum praecocium, temperies verò calida, siccaque gradu circiter secundo. Videtur species *Ocopetlatl,*

aut Adianti. Admoventur radices, foliaque adversùs pectoris dolorem semidrachmae pondere. Nascitur saxosis, et praeruptis locis regionum temperatarum agri *Acatlanensis Mistecae* inferioris.

CAPUT XXVI.

De TLAÇOTEQUILIZPATLI *Acatlanensi secunda.*

Radicibus insistit longis, et tenuibus, unde profert caules tenues, teretes, et sese convolventes Arboribus; folia tricuspidia, mediocris magnitudinis, flores luteos, ac fructum orbicularium, vesicarum instar. Sapor est dulcis, ac vis pectori amica (unde nomen), cujus asperitates lenit, dolores tollit, et ceteras ejus affectiones magna ex parte curat. Nascitur in collibus temperatis *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT XXVII.

De tertia TLACOTEQUILIZPATLI *Acatlanensi.*

Radici insistit unicae, tenui, et prolixae, unde eduntur caules, et in eis foliola Scammonii serrata, et oblonga, fructus verò similis *Harmeli*, in quo includuntur semina. Radix est dulcis, ac temperiei proxima. Curat morbos pectoris semunciae pondere quotidie ex aqua devorata, emollit enim ejus asperitates blanda, quam participat, natura. Nascitur in temperatis, campestribusque *Acatlani* locis. Pro-

venit quoque *Tzumpanci*, ubi *Palancapatli* a curandis ulceribus vocare eam solent.

CAPUT XXVIII.

De TLAELLIPATLI *Acatlanensi.*

Radici adhaeret tenui, et prolixae, unde profert caules spithamaeos, teretes, ac tenues, folia Alsines, angusta, et longiuscula, semen verò in spicatis floribus. Radix trita, et devorata semunciae pondere medetur dysentericis, unde nomen. Est enim valde adstringens cum quadam amaritudine, et calore. Nascitur quovis caelo *Acatlanensi* juxta colles.

CAPUT XXIX.

De TLAQUAUHTILIZPATLI, *seu venerea medicina.*

Radices fundit longas, ac tenues, breves caules, et in eis folia longa, et angusta, salignis majora, subalbidaque, et firma, qualia esse solent arborea, fulvosque, ut ferunt, flores. Sapor est Glycyrrhizae, dulcis, calidaque, et humida temperies ordine secundo, aut primo. Excitat venerem admota pudendo, ingestaque, unde invenit nomen, curatque puerorum diarrhoeas tosta, redacta in pulverem, atque duarum drachmarum mensura devorata. Nascitur in montibus temperatis agri *Acatlanici.*

CAPUT XXX.

De TLALHUAPATLI, *seu medicina convulsionis.*

Radicem profert tenuem et prolixam, unde oriuntur exiles, teretesque caules, et in his folia Amygdali, sed latiora, flosculique candentes. Amara est, calidaque, et sicca ordine tertio; quamobrem opportunè dicitur radicem semunciae pondere devoratam ventris, ac stomachi dolorem placare. Nascitur in calidis collibus agri *Acatlanici.*

CAPUT XXXI.

De TEPECACALOXOCHITL *Acatlanensi, seu Flore Corvi montano.*

Radicibus insistit tenuibus, et longis, unde mittit caules dodrantales, et in eis folia rara, binaque, pinguia, aspera, et Ocymi forma, ac flores in summis caulibus luteos. Radix est dulcis, ac primo ordine plùs minùs calens; folia minùs calefaciunt, et aliquantulùm adstringunt. Curat radix eas defluxiones, quae fiunt ad pectus, et enixarum mammas lacte replet, tussique opitulatur semunciae pondere devorata bis die. Sunt, qui folia eidem rei utilia esse tradant. Nascitur in calidis, et saxosis locis, montiumque faucibus *Acatlanensibus.*

CAPUT XXXII.

De TLATLACISPATLI *Tonallae.*

Radicibus insistit surculosis, unde funduntur caules, et in eis folia Trifolii Asphaltitis, obrotunda, firmaque, terna, aut quina, et flores coccinei parvi. Radices sunt dulces, et subamarae, calidaeque, et siccae ordine ferè tertio. Eaedem semunciae mensura tusae, atque ex aqua devoratae tussi medentur, unde nomen.

CAPUT XXXIII.

De TOMAHUACPATLI *Tonallae, seu crassa medicina.*

Radices agit tenues, ac prolixas, e quibus funditur caulis tenuis, ac dodrantalis, et in eo folia tenuia, ocyminis similia, ternaque, et flores candentes. Radix est acris, et paululùm amara, calidaque, et sicca gradu quarto, subtiliumque partium. Eadem tusa, atque devorata semunciae pondere ventris dolorem lenit, aliosque effectus praestat, quae ab eo caloris gradu, et modo substantiae solent proficisci. Nascitur in temperatis locis *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXXIV.

De TZOMPILIHUIZPATLI, *seu medicina sternutamentum movente.*

Volubilis est Arbores conscendens, radicibus insistens

crassis, fibratisque, unde profert ramos tenues, et teretes, in eisque folia Phaseoli, terna, oblonga, et impensè acuminata, et flores luteos, exiles, et muscosos in postremis stipitum flagellis. Radix nonnullum calorem, et siccitatem participat, subtilesque partes. Medetur gravedini foliorum pulvis infusus naribus, sternutamentum enim ciet, trahitque e capite pituitam. Nascitur in temperatis, et fluminum ripis *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXXV.

De TEQUANPATLI, *seu Leonis medicina.*

Radicem fundit Asphodelo similem, aut *Camotl*, mollem, et candentem, et ex ea teretes caules, tenuesque, ornatos foliis Coronopi, ac florem, ut narrant, nullum. Frigida est radix, etsi nonnullum amaritudinis, atque caloris sensum praebeat. Eadem tusa, illitaque tumoribus praeter naturam medetur. Nascitur temperatis locis, sive edita sint, sive plana, *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXXVI.

De TETZMITL *Tonallae.*

Species videtur Sedi, radicibus insistens capillis similibus, unde profert caules teretes, et in eis folia longa, et angusta, raraque, et juxta extrema latiora, flores verò or-

biculares, et candentes. Doloribus universi corporis medetur, appetentiam excitat, extergit varos, vomitum ciet, curatque usta. Ad vomitum ciendum bibendus est succus, atque ita longis, et insanabilibus medetur morbis. Nascitur in calidis *Mistecae* inferioris juxta littora fluviorum. Lubrica videtur, et nullo insigni praedita sapore, etsi cùm primùm linguae admovetur, nescio quid acrimoniae sentiatur.

CAPUT XXXVII.

De altera TLATLACISPATLI *Tonallae.*

Radicem fundit candentem, longam, tenuem, contortam, et ex ea caules multos, tenues, teretes, ac semine refertos lubrico, frigidaeque, et humidae temperiei, quod asthmati dicitur mederi, ac pellere lumbricos adjectum floribus, et radici *Yxtomio*, tritumque, et epotum ex aqua manè, et vespere semunciae pondere.

CAPUT XXXVIII.

De TLAELPATLI *Tonallae, seu medicina dysentericorum.*

Radici insistit candidae, longae, tenui, et fibratae, ex qua caules prodeunt exiles, teretes, et longi, et in his folia Lini, tenuia, et flores in corymbos compositi. Radix est primo ordine calida, grave quoddam virus olens, et nonnihil adstringens. Eadem semunciae devorata pondere me-

detur dysentericis. Nascitur *Tonallae Mistecae* inferioris.

CAPUT XXXIX.

De TLATLACISPATLI *Tonallae tertia.*

Radicibus firmatur capillorum instar, unde profert caules nigros, nitidos, ac laeves, similes Adianti, et in summo caulis cujusvis folium unicum, ficulneo simile, valdè sinuosum, et in partes longas, angustasque, et serratas dissectum. Frigida, et adstringenti natura constat, non sine quadam lubricitate. Pectoris asperitates lenit, unde est illi impositum nomen, curatque lateris dolores. Quin Medici Indi affirmant folia resoluta ex aqua, aut vino, epotaque eum, qui vehemens frigus patitur, sanitati restituere: quod videtur hujus Herbae repugnare temperiei; sed quia omnibus momentis mirabilis est natura, et occulta vi pleraque incredibiles effectus proferunt, non dubitavi hanc Indorum assertionem tradere posteritati. Nascitur in temperatis *Tonallae Mistecae* inferioris. Sunt, qui *Tlatequilizpatli*, seu *medicinam vulnerum*, quoniam eisdem etiam glutinandis inserviat, aut quòd ipsa sinuosa, et veluti dissecta sit, nuncupent.

CAPUT XL.

De TLAQUAUHTILIZPATLI , *seu medicina ad venerem excitandam idonea , Tonallae alumna.*

Radices agit tenues, et prolixas, Batatis similes, unde profert caules per terram serpentes, et longos, tenues, teretes, et subalbidos, et in eis folia Sennae, sed tamen minora, ac coccineos flores. Radices nullum videntur saporem insignem praeseferre, imò frigida, aut temperata constare natura; et tamen adeo reperitur venerem excitare, ut inde invenerit nomen. Nascitur in temperatis montibus *Tonallae Mistecae* inferioris, necnon *Tancuitlani*, ubi ajunt dysenterias sistere, vocantque eam *Tlaelpatli.*

CAPUT XLI.

De TLEPATLI *Tepuzculullae.*

Radici insistit fibratae, unde profert caules tres prolixos cubitos, cavos, rubeos, refertosque foliis Polypodio quadantenus similibus, insignibusque venis secundùm longitudinem discurrentibus, et serratis, sed obrotundis his, quae postremas caulium partes occupant, transversisque interveniis, floribus verò pilosis, luteis, et compositis in comam. Folia sunt amara, calidaeque ordine ferè tertio, ac siccae temperiei. Jus decocti eorum dicitur gallico morbo mederi,

si semel per aliquot dies quotidie bibatur, pustulis verò ejusdem aegritudinis, si cùm *Tlilocotl* contingat eisdem admoveri, pannis quoque, et scabiei: verùm erumpentibus tuberculis inspergunt pulverem *Iztacpatli Tonallae*, atque ita sanitati pristinae aegrotantes restituuntur. Nascitur in frigidis, palustribusque locis, aut juxta montium radices *Mistecae* inferioris, et Provinciae *Mechoacanensis*, ac juxta loca acclivia Aetnae Mexicanae.

CAPUT XLII.

De TLAXHUIZPATLI *Tepuzculullae.*

Radicem fundit napo similem, sed juxta finem tenuiorem, intusque candentem, et ex ea volubiles caules, tenues, teretes, et ornatos per intervalla foliis Diapensiae vocatae, duobus magnis sinubus, ac totidem aliis minoribus divisis, ac coccineis floribus, fructuque acinoso semen includente. Radix est aliquantisper dulcis, et secundo ordine calens, spiransque virus Paeoniae radicis simile. Discutit pannos, ac furunculos, maturatque, et exsiccat, et ictibus scorpionum medetur. Nascitur in frigidis collibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT XLIII.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tepuzculullae.*

Herba est radici crassae insistens, unde mittit caules quatuor spithamas longos, et in eis folia cordis figura, aspera, crassa, infernè subalbida, multis interveniis distincta, et flores luteos, ac modicos. Radix Glycyrrhizam sapit, caloreque, et humiditate paulò mitiore praedita est. Pectus lenit, ejus asperitates mollit, ac tollit dolores. Nascitur in frigidis collibus.

CAPUT XLIV.

De TETELQUICPATLI *Tepuzculullae, seu adstringenti medicina.*

Frutex est radici insistens magnae, et surculosae, ex qua mittit stipites quatuor dodrantes longos, teretesque, et in eis folia Ocymi, circinata, luteos flores, ac fructum cicerum forma, in tres partes velut divisum, in quarum singulis granum unum includitur paene orbiculare, extra nigrum, nitidumque, et nucleum candidum cannabini seminis sapore intrinsecùs comprehendens. Folia sunt frigida, et adstringentia, unde evenit nomen, atque ita recentibus plagis dicuntur mederi admota, illitusve eorum succus, et diarrhoeis devorata. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Mistecae* inferioris.

CAPUT XLV.

De TLATLATZIZPATLI *Tepuzculullae.*

Radicem fundit tenuem, longam, et crasso cortice vestitam, ac folia Limonis. Radix est amara, et subdulcis, non sine quadam acrimonia, calidaque, et sicca ordine tertio. Eadem devorata drachmae unius pondere pectus lenit, abstergitque, et asthmati medetur. Nascitur in frigidis, planisque locis.

CAPUT XLVI.

De TONEHUILIZPATLI *Tepuzculullae.*

Similis est *Sacacilin* forma, et facultate, atque illi eadem, aut prorsus congener. Ajunt amissam motionem instaurare. Frigida tamen est, salivosa, et nonnihil adstringens. Nascitur in frigidis locis, et campestribus *Mistecae* inferioris.

CAPUT XLVII.

De TLEPATLI *Tepuzculullae.*

Species est Ranunculi, namque illis similis est forma, facultateque, et radices sortitur Helleboro persimiles.

CAPUT XLVIII.

De TZONPILIHUIZPATLI *Tepuzculullae.*

Radicem fundit prolixam, et tenuem, et ex ea caules tenues, longos, ac serpentes per terram, ornatos foliis exilibus, similibus Alsinae, refertosque floribus, ac deinde semine coriano simili. Acris est, et amara, calidaque, et sicca ordine tertio. Gravedini medetur succus ejus instillatus naribus. Nascitur in frigidis, planisque locis.

CAPUT XLIX.

De TLATLACISPATLI *Tancuitlanensi.*

Radix est tenuis, longaque, et candens, unde prodeunt caules teretes, tenuesque, et sesquicubitum longi, et in eis folia Olivae, serrata, ac flores spicati, et exiles. Radix est subamara, calidaque, et sicca ordine secundo. Medetur tussi vapor florum arentium exceptus. Nascitur in frigidis, planisque locis *Mistecae* superioris.

CAPUT L.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tancuitlanensi.*

Fibratae insistit radici, unde prodeunt caules teretes, dodrantem longi, et in eis folia Origani, infernè subalbida, et hirsuta, et flores in summis caulibus lutei, et comantes,

Tauhtlinis similes. Radix est amara, et gustu odora, ac tertio ordine calida, et sicca. Folia tusa, resoluta ex aqua, et semunciae devorata pondere pectoris medentur morbis. Nascitur in frigidis collibus *Mistecae* superioris.

CAPUT LI.

De TLATLACISPATLI *Tepapayecae.*

Herbula est radicibus innixa fibris similibus, unde profert caules tenues, teretes, et geniculatos per intervalla, rubeosque, et per terram serpentes, ac radices proferentes capillis similes e singulis geniculis, quoties terram attingunt, et in eis folia Ocymi, serrata, sed obrotundiora, et asperiora. Radix sapit *Cacahoatl*, virus gustata spirat, calorem ordine secundo praefert: pectori confert, unde nomen, ac lenit dolores. Nascitur in montosis, ac frigidis locis.

CAPUT LII.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tancuitlanensi secunda.*

Radicem fundit surculosam, ac bifurcatam, et inde caules prolixos, ornatos foliis Limonis, serratis, et in cacumine flores purpureos, semenque orbiculare coriano simile. Radix est frigida, lubrica, et abundans succo, etsi nonnihil lancinans more earum Herbarum, quas Indi vocant *Quequexquic*. Radicem semunciae pondere devoratam ferunt calo-

rem corporis, et ventriculi exstinguere, lenire pectus, ac lateris dolorem tollere. Nascitur in frigidis locis sive edita sint, sive humilia, *Mistecae* superioris.

CAPUT LIII.

De TETZACAPATLI *Tancuitlanensi, seu sterilium medicina.*

Folia fert haec Herba Origani, aliquantulùm serrata, caules Solani, ac flores candentes. Frigida constare videtur temperie, etsi nonnullam participet amaritudinem. Radix tusa, ac duarum drachmarum mensura devorata ex vino sterilitatem pellit, ac conceptum procurat, sed ante trium, aut quatuor dierum spatio epotanda est radix *Zacacilin* drachmae unius pondere. Nascitur in frigidis *Mistecae* superioris planis locis, aut fluminum ripis.

CAPUT LIV.

De TLANOQUILONIPATLI *Tancuitlanensi.*

Radicem fundit longam, et ex ea caules teretes, tenues, et subalbescentes, folia Lini, longa, et angusta, subalbidaque, et hirsuta, flores verò luteos, et exiles, spicatosque. Radix est aliquantulùm amara, et lubrica, non sine quadam acrimonia. Eadem tusa, sesquidrachmae, duarumve drachmarum pondere purgat abundanter bilim, at pituitam. Est autem calida ordine tertio, ac guttur urit. Na-

scitur in collibus frigidis *Mistecae* superioris.

CAPUT LV.

De TLAELPATLI *Yancuitlanensi.*

Folia sunt serrata, hirsuta, tincta virore exsaturato, ac similia Urticis Hispanicis, sed tamen latiora; flores funiculis contortis similes, quales apparent in Urticis nostratibus. Radix est surculosa, ac vis frigida, atque adstringens. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Mistecae* superioris. Medetur dysentericis, unde nomen.

CAPUT LVI.

De TLAXHUIZPATLI, *seu medicina furunculorum Yancuitlanensi.*

Radicem fundit crassam, et oblongam, caules volubiles, cavos, et tenues, ac tres dodrantes longos, folia mediocria, oblonga, serrata, terna, et flores coccineos. Radix est frigida, et impensè glutinosa, lancinansque, more earum plantarum, quas Indi vocant *Quequexquic.* Tusa, et admota tumores repellit, et ulceribus medetur. Nascitur in calidis collibus *Mistecae* superioris.

CAPUT LVII.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Yancuitlanenſi.*

Radicem agit tenuem, et longiuſculam, et ex ea caules teretes, ſerpentes per terram, ornatos Origani foliis, circinatis, floribuſque exilibus, et luteis. Subamara eſt, ac ſecundo ordine videtur calefacere. Pectoris dolori, aliiſque illius adverſatur morbis bis, terve ſemunciae pondere per ſingulos aliquot dies ex aqua Glycyrrhizae devorata. Naſcitur frigidis, humidiſque locis *Miſtecae* ſuperioris juxta ripas fluviorum.

CAPUT LVIII.

De TLACOTEQUILIZPATLI, *ſeu medicina incisae ſudis.*

Frutex eſt radicem fundens longam, ac minimum digitum craſſam, lignoſamque, unde profert caules multos, binas ſpithamas longos, tenues, lignoſos, et teretes, et in eis folia Origani, ſerrata, flores verò modicos, et candentes. Calidus eſt, et ſiccus ordine quarto, acris, reſinoſus, glutinoſuſque, guſtuque impensè odorus. Reſipit aliquantulùm corianum. Ius decocti ejus medetur pectoris morbis, flatum diſcutit, alvique, ac ventriculi mollit dolores. Naſcitur in cacuminibus montium frigidorum *Miſtecae* ſuperioris.

CAPUT LIX.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Acatlanensi.*

Radices fundit Asphodelo similes, candidas, et translucidas, e quibus fundit caules, foliaque Alliorum foliis, ac caulibus similia, et in illis flores exiles, et luteos. Dulcis est, ac moderati cujusdam caloris. Pectoris lenit asperitates, aliisque ejus medetur morbis, vel nomine ipso teste, radix tusa, devorataque unciae unius pondere cum viginti Mayzii granis torrefactis, aut pectori imposita. Nascitur in calidis, ac temperatis locis juxta montium *Acatlanensium* cacumina.

CAPUT LX.

De TZOCUILPATLI.

Radici innititur obrotundae, magnitudine nucis Iuglandis, candenti, et contectae pelliculis nigricantibus, unde profert caulem, et folia, longa, hirsuta, subalbida, angusta, et porraceis similia, ac parvos flores. Radix lubrica est, neque ullo alio insignis sapore, frigidaque, et humenti praedita temperie, etsi lancinantionem quamdam participare videatur more earum Plantarum, quas Indi *Quequexquic* vocant; unde existimo evenire, ut dicatur strumis persanandis magnopere conferre radicem tusam, et loco affe-

cto admotam. Nascitur in collibus, ac montibus frigidis *Tonallae Mistecae* inferioris.

CAPUT LXI.

De TLANCUALOCAPATLI.

Radicibus firmatur longis, et tenuibus, ex quibus mittit caules sesquidodrantales, et in his Origani folia, flores luteos, parvos, in corymbos compositos. Radix est amara, et paulisper adstringens, calidaque, et sicca ordine tertio. Eadem in pulverem redacta, et ex aqua illita exesi dentis placat dolorem. Nascitur in frigidis, saxosisque *Tilanci* locis.

CAPUT LXII.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tilancensi, seu virga secta.*

Radici insistit fibratae, ex qua mittit caules spithamaeos, et in eis folia Amygdali, serrata, et interveniis secundùm longitudinem procedentibus, flores verò luteos, et compositos in corymbos. Radix acris est, calidaque, et sicca temperie. Curat pectoris, et ventris dolores tusa, et sterno, ventrique applicata, aut devorata ex aqua semunciae pondere, ac alvum infusa purgat. Nascitur in planis, editisve locis, dum tamen frigida sint, agri *Tilancensis.*

CAPUT LXIII.

De TLAELPATLI *Tilancensi.*

Radices agit surculosas, unde profert caules lignosos, et in his folia Myrti, terna, sed congesta in acervos, et flores candentes. Radix est amara, odora gustu, acris, calefaciens, et exsiccans ordine tertio, et subtilium partium. Eamdem ajunt drachmae unius devoratam pondere dysenteriis obsistere. Nascitur in frigidis, saxosis, et montosis locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXIV.

De TLAELPATLI *Tilancensi altera.*

Radicibus firmatur surculosis, unde profert caules octo spithamas longos, tenues, et geniculatos, et in his folia *Xiuhquilitl* similia, sed minora, et transversis exarata interveniis, flores verò rubescentes e luteo. Serunt, excoluntque eam Indi tingendorum filorum gratia cyaneo colore. Temperata videtur constare natura, et paulisper calida, et tamen foliis ejus uti mos est adversùs dysenterias trium drachmarum pondere devoratis. Nascitur in frigidis, planisque *Tilanci* locis.

CAPUT LXV.

De TLAXHUIZPATLI.

Herba est radicibus innixa Asphodelo similibus, teneris, et plenis succo, unde profert caules quaternum dodrantum, et Ari folia. Radices frigidae, humidaeque, et glutinosae videntur, quamvis lancinantes quasdam partes sortiantur, sitque ex numero earum, quas Indi Medici vocant *Quequexquic*. Repellere dicitur praeter naturam tumores imposita, et circumlita pannos, quos bubones vocant, evocare, maturareque. Nascitur in frigidis *Mistecae* superioris. Non autem duximus depingendam, cùm quòd Aro prorsus videatur similis, adeoque ejus species, et maximè foliorum forma, quae sunt praecipuae ejus partes, tum quòd vis frigida sit, et mordacitatis minimè expers, tum etiam, quòd frigidis constet viribus, quibus praeditas permultas depinximus Plantas.

CAPUT LXVI.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tilancensi altera.*

Radice firmatur fibrata, unde profert caules duos dodrantes prolixos, et in eis folia Persici, crenata per ambitum, flores coccineos, parvis vasculis, oblongisque contentos, et aggregatos in umbellas. Radix est amara, calefacitque, et exsiccat ordine tertio. Dolori pectoris, morbisque

ejus aliis dicitur conferre tusa cum foliis, illitaque pectori, et dorso semel dumtaxat. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Tilanci.*

CAPUT LXVII.

De TLANCUAXIHUITL *Tilancensi.*

Radicem fundit longam, tenuem, et fibratam, ex eaque caules tenues, teretes, ac duos dodrantes longos, et in eis folia Amygdali, serrata, ac purpureos flosculos. Radix est temperatè calefaciens, atque humectans, quae illita cum foliis dolores sedare dicitur, et impeditam motionem instaurare. Nascitur in frigidis, planisque locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXVIII.

De TLAELPATLI *Tilancensi tertia.*

Arbor est nascens in frigidis quibusque locis *Mistecae* superioris, foliis oblongis, serratis, multisque distinctis interveniis, *Xalxocotl* similibus, sed minoribus. Frigida est, et impensè adstringens; quamobrem folia exsiccata, redacta in pulverem, devorataque dysenteriis medentur, unde nomen.

CAPUT LXIX.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tilancensi tertia.*

Radix est prolixa, et sensim gracilescens, aliquantis-

per intrinsecùs lutea, ex qua fundit caules tenues, teretesque, et in eis folia Mali Medicae, sed angustiora, et tenuiora, floresque coccineos, et modicos. Radix est dulcis, calidaque, et humida constans natura, et pectori amica, cujus asperitati, dolori, ceterisque affectionibus dicitur mederi cortex radicis sex obolorum pondere. Nascitur in frigidis quibusque locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXX.

De TECCIZPATLI.

Radicibus firmatur surculosis, unde profert caules, et in eis folia rara, Limonis paene forma, et magnitudine, aut Herbae palustris, quam vocant *Acaxaxan*, et candentes, ac modicos flores. Radix est frigida, siccaque; quamobrem in farinam redacta, et trium drachmarum pondere ex aqua epota vomitum compescit. Nascitur in frigidis, montosisque *Tilancensibus.*

CAPUT LXXI.

De TETLACOTL, *seu sude lapidum.*

Radicibus firmatur surculosis, unde prodeunt caules teretes, et purpurei, et in eis folia serrata, aspera, Urticae foliis similia, sed terna per intervalla, quorum unum est mediocre, alia verò duo triplo ferè minora, alteraque ex parte collocata, flores verò candentes, et in pappos abeuntes.

Amara sunt folia, adstringentiaque, et calida, ac sicca temperie praedita. Jus decocti ejus exhiberi solet roborandi, et calefaciendi gratia, et pro Indorum more foeminis, quae confractae sunt in enixu.

CAPUT LXXII.

De TLAYACACUITL.

Herba est insistens radici obrotundae, et fibratae, unde caules geniculati funduntur, et in eis folia Mali Medicae, minora, obtusioraque juxta cuspidem, perque magna intervalla bina alterutra parte caulis alternatim disposita, et in summo capitula Stoechadi quadantenus similia, cujus adhuc nullam insignem facultatem, quae spectet ad Medicinam, accepi. Est autem Tlayacacuitl *Herba obtusae cuspidis.*

CAPUT LXXIII.

De TLACOXOCHITL, *seu virga florida.*

E radice longa, tenui, et convoluta modo intestinorum, fibrataque multas virgas profert, caulesve lignosos, cubitales, et mediocriter crassos, folia Lini, longiuscula, et angusta, et in procursu ramorum flores ex albo rubescentes, vasculorum oblongorum figura, semenque nullum. Radix in laevorem redacta putridis ulceribus opitulari solet, ac praecipuè virilium, muliebriumve pudendorum. Fastidio etiam

medetur aqua, in quam unius unciae mensura fuerit conjecta, si illa, quoties sitim explere opus sit, bibatur.

CAPUT LXXIV.

De TEXCALXIHUITL, *seu saxorum Herba.*

Nomen invenit a locis natalibus; saxis enim adhaeret radicibus, quae similes sunt capillis, unde mittit caules ornatos foliis binis, ordine utrinque dispositis, Filicis, Corianive similibus, et circa superiores partes floribus candentibus. Filicis speciebus aliis, quas pictas damus, videretur facultate, et forma similis, si caule, et floribus careret, quos tamen, quales diximus, proferre solet.

CAPUT LXXV.

De TZAHUÉNGUENI, *seu Filipendula Mechoacanica.*

Herba est radicem fundens glandi similem, intrinsecùs candentem, et extra fuscam, desinentem in tenuem, et longum funiculum, unde prodit caulis purpurascens, ornatus foliis in tres partes, quarum media major est, divisis, serratisque, et floribus circa postremos ramos per ambitum coccineis, ac media parte luteis cum alba quadam iride. Radix est calida, et sicca ordine quarto, acrisque, et subamari saporis, odoris verò Pastinacae, *Copali*, aut *Tecomahacae* persimilis. Folia tusa, et admota medentur scabiei, et re-

dacta in pulverem ulceribus. Radices tusae, atque ex aqua devoratae duarum drachmarum pondere urinam, et menses evocant, convulsionem curant, satietati medentur, pectori conferunt, frigus pellunt, reserant obstructa, opitulantur coeliacis, hydropicis, colicis, iliacis, et ceteris, quibus medicamenta calida, siccaque ordine quarto, ac subtilium partium solent conferre. Nascitur in frigidis montibus, et eorum verrucis *Tacambari* Provinciae *Mechoacanensis*, necnon *Zayulae*, ubi *Zacacucuchi* vocant.

CAPUT LXXVI.

De TZIQUIPENI, *seu Planta racemosa.*

Herba est surculosis firmata radicibus, unde oriuntur caules teretes, tenues, ac fulvescentes, per intervalla ornati foliis longis, et angustis, quinisque, floribus verò binis inter foliorum acervos e longis pediculis dependentibus; quorum colorem, nondum hiantium, cùm a nobis visi sunt, referre nequeo. Ajunt pectoris dolorem sedare radices tusas, et applicatas, aut oleum, cui infrixae sint, etsi sapore, et odore insigni videantur carere. Nascitur in temperatis *Tacambari* Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT LXXVII.

De TIRIXENDÚQUA.

Caules fundit teretes, hispidos, quatuor dodrantes longos, subalbidosque, et in eis folia oblonga, proxima Conyzae, luteosque, et pilosos flores, in pappos, cùm jam consenuere, abeuntes. Amara est, calidaque, et sicca ordine tertio. Jus decocti ejus infusum emundat intestina, faeces retentas educit, flatum discutit, ac dolorem sedat. Nascitur temperatis, humectisque locis juxta ripas fluminum *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXVII.

De CHICHARI, *seu Huacalquahuitl.*

Frutex est stipites proferens subfulvos, Origani folia, aut Cynorrhodi, serrata, sed subalbida infernè, ac flores cinereos. Amara est, et adstringens, calidaque, et sicca natura. Ajunt hiantes strumas sanitati restitui, si jure decocti ejus semel singulis quibusque diebus colluantur, inspergaturque pulvis. Nascitur in temperatis *Uruapae* collibus. Curat cum *Ocotl* quasvis cutaneas infectiones.

CAPUT XXVIII.

De CHUPEQUA, *seu lignosa, et firma Planta.*

Herba est caules fundens fulvos, geniculatos, teretes, et in eis folia longa, et valde angusta, parvosque, et luteos flores. Insipida videtur, glutinosaque, et tamen morbo gallico ajunt mederi folia tusa, ac semunciae pondere devorata semel quotidie tempore matutino. Provenit magna ex parte exculta in hortis *Uruapae*, ubi maximi solet haberi.

CAPUT XXIX.

De COROCHE.

Herbula est humidorum, temperatorumque convallium Provinciae *Mechoacanensis* alumna, radici innixa longae, et tenui, unde profert exiles cauliculos, ornatos quàm minimis foliis, ordine utrinque dispositis, ac luteis floribus. Nonnullum videtur gustantibus praeseferre calorem, atque ideo tumoribus praeter naturam, ulceribusque tusa, et imposita medetur: saniem enim extergit, et carnem generat.

CAPUT XXX.

De COATLI XOCHITLANENSI, *seu Coanenepilli.*

Coanenepilli, quam alii *Yztaccoanenepilli*, alii *Coapatli*, aut COATLI XOCHITLANENSEM vocant, radicem edit prolixam,

convolutam, minimum digitum crassam, fibratamque, cujus est usus in Medicina, et ex ea caules volubiles, teretes, exiles, ac ornatos per intervalla foliis Lunae decrescentis in modum, aut solearum, quibus calceantur jumenta, signatis quoque clavis luteo colore, item capreolos, et flores multicolores Betonicae ferè forma, sed longè minores. Radix est nonnihil dulcis, calidaque, et sicca ordine ferè secundo, et odora; quam tusam, ac devoratam trium drachmarum pondere ajunt mederi spleni, restaurare motum impeditum, sedare dolores, appetentiam excitare, evocare urinam, calorem temperare, ventris dolorem lenire, semen retentum pellere, ac per somnos insomniave a suis jam paene sedibus divulsum, viperarum obsistere ictibus, venenatis potionibus, venenisque aliis vim omnem adimere expurgatis statim per inferna, praeservare etiam a meretricum veneficiis, insidiis, nocuisque cibariis, qua die fuerit devorata: demum venenorum omnium perniciosam vim hebetare. Sunt, qui flores idem praestare existiment. Nascitur multis in locis agri Mexicani, sed praecipuè *Xochitlani*, ubi ejus vires sunt primò exploratae, atque repertae.

CAPUT XXXI.

De CUINIQUICOMANCHÚCUA, *seu umbra Sciuri.*

Herbula est longis, tenuibus, candidisque innixa radici-

bus, unde profert cauliculos graciles, teretes, et geniculis interceptos, ac in eis folia Alsines, aut *Ocoxochitl*, sed magis acuminata. Calefacit, siccatque, virus spirat, et subamaro sapore constat. Dysentericis subvenire dicitur radix devorata duarum drachmarum pondere, aut inspersa ventri. Nascitur in temperatis *Tancitarensibus* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXII.

De CHICHILTXE.

Folia fert Ocymi in tenuibus, ac teretibus ramulis, sed profundiusculè serrata, et flores candentes. Amaritudinem quamdam praeseferre videtur, et nonnihil calida constare natura. Ajunt succum amissum motum restituere, si decem, aut plurium dierum intervallo quinque unciarum hauriatur mensura. Nascitur in planis, calidisque, et humectis locis regionis *Panucensis.*

CAPUT XXXIII.

De CÁRÁPE.

Herbula est radicibus insistens fibris similibus, unde prodeunt cauliculi tenues, teretes, lignosique, et in eis folia Rutae similia, sed subalbescentia, serrataque, et flores, ut ferunt, rubei, et modici. Vis est frigida, et adstringens, et tamen ajunt lateris dolores sedare, et alvi com-

pescere tumores (unde nomen) tusa folia , et dolenti loco applicata. Nascitur in frigidis *Tancitari* collibus.

CAPUT XXXIV.

De CONGUERAN , *seu latifolia Herba.*

Radici insistit longae , ac tenui , unde prodeunt caules teretes , ac referti lenta medulla , ornatique foliis Mali Medicae , sed minoribus , et candidis floribus. Radix est amara , calefaciens , humectansque , et lubricae naturae. Jus decocti foliorum infusum bis , aut ter dicitur bubonas dissipare , evocatis per ventrem humoribus , et id esse testantur mille experimentis comprobatum. Nascitur in frigidis , irriguisque locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXV.

De CAPANCAPACUA.

Herba est caules ferens quadratos , refertos lenta medulla , Ulmi folia , serrata , et flores spicatos , ac virentes. Sapor est subamarus , frigida tamen , et sicca vis. Jus decocti foliorum bibitum dicitur mentis alienationi mederi. Nascitur in frigidis , saxosisque locis *Tancitarensibus.*

CAPUT XXXVI.

De CHUPÁMEQUA.

Arbor est magna regionum calidarum proveniens juxta oppidum *Huisti*, subjectum vicario *Xilotlani* Provinciae *Mechoacanensis*; cujus trunci cortex subdulcis est, et nonnihil calidus cum vehementi adstrictione, a quo liquorem stillare audio ejusdem facultatis utilem ad multa. Nec quidquam amplius de ea Arbore adhuc a me potuit pervestigari.

CAPUT XXXVII.

De CHARÁPETI, *seu re coccinea Apacincanensi.*

Species et Polypodii, aut Phyllitis, nam vis, radixque eadem, locusque natalis, verùm folia longa, et angusta sunt, nec dissimilia salignis. Nascitur *Apacincani*.

CAPUT XXXVIII.

De CHARASPETACUA, *seu medicina procidentis ani.*

Herba est folia Olivae ferens, sed minora, raraque, et flores in summis caulibus, qui teretes, et mediocriter crassi sunt, spicatos, et rubeos. Temperato calore constat, salivosaque natura, et dolori pectoris dicitur applicata mederi, anumque procidentem reducere, unde nomen. Nascitur *Apacincani*.

CAPUT XXXIX.

De COAXIHUITL *Apancincanensi.*

Radices fundit longas, et tenues, caules volubiles, folia oblonga, secta per ambitum, et nonnunquam terna, flores coccineos, et fructum in corymbos compositum. Folia frigida, et lubrica sunt, et nonnihil, velut et radix, adstringentia, et tamen ventris dolorem dicuntur applicata placare. Nascitur in calidis, planisque locis *Apacincanensibus* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XL.

De CAHUÁSTZITZIQUI, *seu Flore Chilli.*

Herba est radice firmata surculosa, rubraque, unde prodeunt caules, lenta referti medulla, ornatique foliis Limonis, sed paulò majoribus, atque tenuioribus, et floribus rubeis, compositis in spicas, et vasculis oblongis contentis. Radix est amara, calida, et sicca ordine tertio, et nonnihil adstringens. Aqua, ubi pulvis ejus aliquandiu maduerit, semunciae pondere matutino epotata sanguinem narium, et eum, qui per os excernitur, dicitur retinere. Nascitur calidis, planisque, et humectis locis juxta fluminum ripas *Apacincani* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XLI.

De ZACACAMOTLI.

Radicibus haeret longis, unde edit caules tenues, teretesque, et in eis folia Persici, sed latiora, et breviora, et flores, ut ferunt, nullos. Radix est dulcis, quae unciae unius pondere in pulverem redacta, et devorata ex aqua, curat bubones, et eos, qui dolore renum afficiuntur, aut saniem excernunt cum lotio. Provenit in calidis, planisque, et umbrosis *Apacincani* locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XLII.

De CUERÁPASIRANGUA, *seu Scorpii radice.*

Radicibus innititur multis, longis, contortis, tenuibus, et candentibus, unde profert caules hispidos, stipatos foliis subalbidis, hirsutisque, et Myosotae similibus, verùm paulò majoribus, ac juxta summum floribus ex albo pallescentibus, parvis, spicatisque. Radix est dulcis, et glutinosa, quae tusa, et duarum drachmarum pondere devorata dicitur mederi dysentericis. Provenit in calidis collibus Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XLIII.

De CUITLAPATLI *Tamoini Provinciae Panucensis.*

Herba est radicem surculosam fundens, et ex ea caules ornatos foliis Limonis, ac floribus candidis, pilosis, et in pappos abeuntibus. Frigida, salivosaque, et nullo insigni sapore praedita mihi visa est; et tamen ajunt Indi aquam, ubi pulvis foliorum aliquamdiu bis, terve maduerit, expressusque sit, potatam a tempore matutino adusque quartam pomeridianam, dum tamen in id usque tempus nihil praeterea ingeratur, hydropem patientium ventrem ita purgare per inferna, ut nullum vestigium maneat tumoris, nec gravem esse potum, ingrative saporis. Provenit apud *Panucenses.*

CAPUT XLIV.

De CHAPIZTLI.

Species est Ari, nam illi similis est foliis, quae quina magna ex parte sunt, floribus, fructuque, et stipite geniculato, arundinaceo, et radicibus e singulis geniculis prodeuntibus. Folia applicata ulceribus dicuntur saniem extergere, et carnem generare: lac verò mederi oculis inflammatis, et eorum discutere leucomata, et ulcera citra saniem conglutinare. Provenit in calidis, humectisque locis, ac juxta aquarum fluenta *Huexutlae* Provinciae *Panucensis.*

CAPUT XLV.

De CACAOAXOCHITL, *seu Flore Cacaoatl.*

Frutex est ab una radice multos proferens caules, pollicis crassitudine, et altitudine hominis, ornatos foliis Solani, et floribus coccineis, oblongis, corallorum forma, unde fiunt vascula oblonga, parva, nigraque. Haec trita spumam excitant, et granum addunt *Cacaoatl.* Frigidaque, sicca, et adstringenti constat natura. Pulvis instillatus naribus ex aqua fluxum sanguinis coërcet: succus verò vulnera citra saniem conglutinat. Nascitur in planis, montosisque locis, montiumve faucibus, aut humecto solo regionis *Panucensis.*

CAPUT XLVI.

De ZACAPATLI, *seu Tomilal.*

Herbula est tota exilis, luteisque floribus. Frigida, lubricaque natura videtur praestare, bilis impetum coërcere, et appetentiam excitare semimortuam. Provenit apud *Panucenses.*

CAPUT XLVII.

De CHILMECATL, *seu Ychcha.*

Radices sunt multae, tenues, illis Pyrethri similes non modo forma, sed sapore acerrimo, calidaque ordine quarto temperie, unde profert caules volubiles, et in eis folia So-

lani, sed firmiora. Radix admota dentibus levat dolorem eorum velut per miraculum, eosdem, atque eorum radices extergit, et dealbat, lateris dolorem ex frigore ortum, et cujusvis alterius particulae placat, praecipuè si cum resina terebinthina admoveatur: aurium lenit dolores, inveteratos capitis fronti admota curat, et venenatorum inflictis plagis applicata vim adimit veneno. Nascitur humidis locis, calidisque, aut temperatis *Chichimecarum*, et ab omnibus indigenis in maximo habetur pretio; qui persuasum habent mirabile esse remedium adversùs omnia morborum genera, quae e frigore ortum ducunt: et nisi folia diversam formam haberent, posset ad Pyrethri haec Planta referri species.

CAPUT XLVIII.

De ZOCOBUT, *quam alii Tlaocuilotl, alii verò Yochol vocant.*

Herbula est radicem fundens longiusculam, et tenuem, et inde exiles caules, et sesquidodrantem longos, ornatos foliolis longis, et angustis, Olivae proximis, sed angustioribus, et siliquis planis, brevibusque, et in serrae paene modum inaequalibus, ac flores ex albo purpurascentes. Radix est subdulcis, et paulisper calida; quae tusa, et ex aqua devorata febribus interpellatis, spleneticisque dicitur mederi. Nascitur in calidis, humidisque locis Provinciae *Panucensis.*

CAPUT XLIX.

De altera ZOCOBUT *Panucensi.*

Radici insistit orbiculari, parvae pilae forma, et magnitudine, tenerae, dulci, ac jucundi saporis, unde profert caules volubiles, folia Persici, sed latiora, et crassiora, florem verò, ac fructum, ut referunt, nullum. Radix, quae dulcis est, ac grati saporis, applicata bubonas maturat, et rumpit, ceterosque praeter naturam tumores, devorata verò urinam evocat, pellit lapillos, menses immodicos sistit, apposita fronti medetur hemicraniis, pota aut applicata resistit venenis, et venenatis morsibus; quamobrem maximi habetur apud indigenas, nec facilè extortae sunt ab eis ejus vires.

CAPUT L.

De CENTZOMECATL.

Arbor est *Panucensis*, in sylvis nascens, et in hominis adolescens altitudinem, toto anno virens; folia fert Persici, flores modicos, et candidos, ac fructum, ut ferunt, nullum. Radix est amara, calidaque: cujus decocti infusum jus vacuata causa morbum faciente medetur his, quibus impeditus est motus.

CAPUT LI.

De QUATZONPATLI.

Herba est nascens inter sata, e radice surculosa caules proferens tenues, rotundos, et lentos, in eisque folia Loti urbanae similia, ac flores candentes, ut ferunt, et modicos. Vis est frigida, et salivosa, ideoque cauliculi tusi, et applicati medentur vulneribus. Provenit apud *Panucenses.*

CAPUT LII.

De COAPATLI *Panucensi.*

Arbor est ramosa, et spinifera, folia ferens Nummulariae vocatae proxima, et similia *Copalli.* Vis est calida, et sicca, et nonnihil amara. Tumores praeter naturam folia applicata discutiunt, eorumdem verò succus bibitus venenatorum ictuum dolores sedat, et ipsis medetur plagis. Nascitur locis humidis circa montium fauces regionis *Panucensis.*

CAPUT LIII.

De CHACATLI.

Arbor est magna, folia ferens Mali Medicae, sed in acutum desinentia mucronem, ac stipites, a quibus toto anni discursu aliae, atque aliae separentur cuticulae. Folia cùm virent, amarum ajunt praeseferre saporem: sicca au-

tem frigida, et salivosa mihi visa sunt: radix verò sicca, et adstringens; ideoque diarrhoeis tam folia, quàm cortices, et radix opitulantur devorata. Provenit in agro *Panucensi.*

CAPUT LIV.

De CHIPILIN *Panucina.*

Praeter alias Herbas, quae eodem paene nomine ab Indis nuncupantur, et ad idem genus videntur pertinere, est et altera luteos flores ferens, et folia omnium minima, ac facultate persimili; nam cùm folia decocta jucundè ab incolis mandantur, siccata alvum purgant. Semen est acre, calida, ac sicca ordine tertio natura, gravis odor, et radix surculosa.

CAPUT LV.

De CHILXIHUITL *Panucina.*

Radicibus insistit tenuibus, unde prodeunt caules teretes, tenuesque, ornati foliis Olivae, sed minoribus, ac flosculis exilibus, spicatis, viridibusque. Sapor est acris, non dissimilis *Chilli*, calidaque, et sicca ordine tertio temperies. Folia ejus permiscent *Panucenses Texcalpachtli*, quam ipsi *Tlatlatzean* vocant, exhibentque devoranda singultientibus, atque ita ajunt curari morbum. Provenit juxta fontium ripas.

CAPUT LVI.

De ZAZALXIHUITL.

Allata est a *Panucensibus* Planta omnino similis *Quauhzazal*, sed siliquis tenuibus, et altera parte undulatis, facultate verò frigida, et adstringenti, quae aut eadem est loco tantùm nonnihil distans, aut illi saltem congener. Ajunt mederi ulcusculis, quae contingunt ex scalptura.

CAPUT LVII.

De CECECPATLI *Atotonilci.*

Herba est radici insistens lanugine obductae, fibratae, molli, mananti succo, et obrotunda figura, a qua prodeunt permultae aliae eadem forma, et callo, sed oblongiores, a quarum singulis cauliculi exeunt sesquidodrantales, lenti, et rotundi, ac in eis folia *Tetzapatli*, Cucurbitaeve, sed longè minora, et siliquae phaseolis similes. Radix tertio ordine calefacit, odora est, et nonnihil resinosa. Indi *Atotonilcenses* febribus ajunt mederi et applicitam, et devoratam: sed quoniam naturae hujus Herbae id videtur adversum, securius existimo ex ejus temperie alios rationi magis consonos expiscari effectus. Nascitur in frigidis locis, et montium faucibus.

CAPUT LVIII.

De CUTZIQUA, *seu auricula.*

Herba est radici insistens longae, surculosaeque, unde profert caules ornatos foliis Salviae similibus, ac luteis floribus. Radix est odora, amaraque, et nonnihil acris, ac calefaciens, et exsiccans ordine tertio. Eadem tusa, et applicata dicitur sedare dolores, qui sub alis solent contingere. Ceteros effectus conjicere quivis potest ex supradicta temperie. Nos enim vires praecipuè ab Indis relatas consectamur. Nascitur in excelsis, planisque locis regionum frigidarum *Mechoacanensium.*

CAPUT LIX.

De CURITZITZIQUI, *seu Flore aurae.*

Radici innititur Cepae simili, unde prodeunt folia porracea, et cavi caules, ornati purpureis floribus, praelongisque, et in quaedam capillaria filamenta divisis. Radix amara est, et valde glutinosa; quo fit, ut tumoribus praeter naturam dicatur applicata mederi. Nascitur in frigidis, seu montosis, sive planis locis Provinciae *Mechoacanensis.* Videtur autem ad Narcissi genera pertinere.

CAPUT LX.

De CHUUTMEQUA, *id est Herba inclinante in aquas.*

Herba est surculosae insistens radici, ex qua profert caules tenues, dodrante paulò longiores, et in eis folia Menthae, serrata, ac exiles, et luteos flores. Frigidae est, et glutinosae naturae, furunculisque, ac aliis modicis inflammationibus prodest. Nascitur juxta ripas fluminum regionum frigidarum.

CAPUT LXI.

De COCOPITZURUPUTZ, *seu Cepis junceis.*

Junci species est foliis porraceis, sed angustis, ac brevibus, radicibus obrotundis, candentibus, teneris, dulcibus, salivosis, et tunicatis: quae tusae, illitaeque medentur dysentericis. Provenit planis, frigidisque locis *Mechoacani.*

CAPUT LXII.

De CUTIXURI, *seu Herba geniculata, et humili.*

Herba est radicem fundens crassam, prolixam, lignosam, et ex ea caules teretes, tenues, geniculatos, et breves, ornatos foliis Origani, et floribus ex albo purpurascentibus. Sapor est impensè amarus, ac vis calefaciens, et exsiccans: quamobrem radix tusa, resoluta ex aqua, instillataque cancerosis narium ulceribus medetur. Provenit in

frigidis, montosisque locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT LXIII.

De CUTZÚMU, *seu Planta os extergente.*

Herba est radice firmata crassiuscula, fibrataque, unde profert caules refertos foliis Olivae, subalbidis, sed brevioribus, et angustioribus, et floribus candidis. Frigida constat, et nonnihil lubrica natura; ideoque opitulari dicitur ambustis. Provenit in planis, frigidisque locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LXIV.

De CHARÁZAACIPEQUARÚXEQUAPETAQUA, *id est expellente variolas.*

Herba est radicem fibratam fundens, et in caulibus folia subalbida, asperaque, longa, et angusta, in summo verò flores ex luteo rubescentes in capitulis Stoechadi haud dissimilibus. Frigida est vis, ac sapor ferè nullus. Ajunt succum ejus bibitum exanthematis puerorum, quae vocant variolas, mederi, pulsis nempe ab internis partibus ad exteriores. Nascitur in frigidis, campestribusque locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT LXV.

De CURÚPUHUITZAQUA, *seu Herba urenti.*

Serpit in frigidis vallibus, ac juxta fluminum ripas regionis *Mechoacanensis* Herbula tota exilis, radicibus fibrarum tenuium instar firmata, folia proferens parva, obrotundaque, et Alsinae similia, sed majora, acerrimi saporis, calida, et sicca ordine quarto, ac tenuium partium. Cujus decocti jus, aut ipsam Herbam naribus, orive admotam ferunt pituitam mirum in modum evocare; et quanquam numerosos alios praestare usus queat, quos conjicere ex praedicta temperie integrum sit, tamen indigenae, qui unam tantùm, aut alteram singularum, ut saepe diximus, norunt facultatem, eam solam commoditatem ab ipsa desumere consueverunt.

CAPUT LXVI.

De CUENDÉRIHUITZAQUA, *seu Herba salivosa.*

Radicem profert longam, ac sensim raphaninae instar gracilescentem, unde profert teretes, teneros, ac rubentes caules, vallatos longis, et angustis foliis, ac floribus, ut referunt, nullis. Frigida, et glutinosa temperie constare videtur, ac odore paene carere. Ideoque tumores praeter naturam applicata repellere dicitur, et in eum solum usum ab incolis vocatur. Provenit in collibus frigidis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT LXVII.

De CHICHICOTLAPALTZIN.

Arbuscula est folia ferens Olivae, sed breviora, et florem, ut ferunt, nullum. Frigida, et sicca temperie constat. Cortex radicis tusus trium drachmarum pondere, ac bibitus cum pulvere sex granorum *Cacahoatl* exhibetur his, qui vocatas variolas, et morbillos patiuntur felici successu, quin idem cortex tusus, et applicatus confert tumoribus praeter naturam. Provenit in humidis locis, et montium faucibus regionis *Hoexotzincensis.*

CAPUT LXVIII.

De CECECPATLI *Chulullensi.*

Herba est radices fundens similes *Tlalcacahoatl*, et inde ramos, et folia *Cenanan*, aut Oxylapatho similia, ac flores, ut ferunt, compositos in corymbos. Radix, cujus est in Medicina usus, frigidae, humentisque videtur temperiei, dulcis saporis, atque odoris aliquantulùm virosi. Eadem tusa, resoluta ex aqua, atque apposita unius paene unciae mensura tumores praeter naturam, ac praecipuè testiculorum sanare dicitur. Nascitur in humidis locis Provinciae *Chulullensis.*

CAPUT LXIX.

De ZACANELHUATL *Chulullensi.*

Herbula est e radicibus surculosis cauliculos edens dodrantem longos, et in eis folia, ac fructum Anagallidis. Radix est dulcis, et temperati caloris. Eadem tusa, resoluta ex aqua, et instillata peni dicitur urinam evocare, ejusque meatus tractis etiam lapillis extergere. Provenit in locis siccis regionis *Chulullensis.*

CAPUT LXX.

De CECECPATLI *Chulullensi secunda.*

Radicibus insistit crassis, teretibus, ac longis, unde profert caules tenues, teretes, ac volubiles, et in eis folia terna, Loto urbanae similia, et in summo exiles, et spicatos flores. Radix est dulcis, et subamara, calidaque ordine primo. Eadem duarum drachmarum pondere tusa, atque resoluta ex aqua propinari solet passis exanthemata. Provenit imbrium tempore in locis humidis regionis *Chulullensis.*

CAPUT LXXI.

De Arbore Cassiae, quam de QUITO *vocant.*

Arbor est (quemadmodum a viris fide dignis accepi, allatoque ramo, ac fructu mihi cognitum est) mediocris

magnitudinis, laurinis paene foliis, cortice supervacuo, ac fructu parvae umbellae forma, sed Cassiae odore, sapore, colore, temperie, et viribus, intus laevi, et extra scabro. Provenit in calidis *Zumacae* Provinciae locis ultra *Quitum*, ac versùs septentrionem, adeoque sub ipso circulo aequinoctiali.

CAPUT LXXII.

De Planta, quam COCAM Peruinam vocant.

Herba est, ut audio, quatuor spithamas plùs, minùs longa, foliis Myrthi, sed paulò majoribus, mollioribusque, diluti viroris, et in quibus alterius minoris folii imago est expressa; semine verò racematim dependente, ac Myrthi instar, cùm maturescere incipit, vergente in rubeum colorem, et tandem nigricante; quo tempore folia colliguntur, in cratibus exsiccantur, et reconduntur in usus. Quod spectat ad culturam, imprimis semen serendum in seminariis est, deinde transferendum, atque ordine velut Fabae, aut Ciceres disponendum repastinato, et culto solo. Miscent folia dentibus commansa pulveri tellinarum ustarum, in catapotia conformant, exsiccantque, atque ita illis sunt usui: ore siquidem gestata, atque, hinc et inde convoluta sitim dicuntur exstinguere, egregiè nutrire corpus, famem sedare, ubi cibi, et potus copia non est, et tollere per longa itinera lassitudines: quin eisdem catapotiis uti solent permi-

sto *Yetl* deliciarum gratia in oppidis, domiciliisque suis manentes ad somnum conciliandum, ebrietatem inducendam, et laborum, curarumque omnium oblivionem, atque quietem. Est etiam illis pro nummo, et ejus Plantae commercio fervent emporia.

CAPUT LXXIII.

De Planta CACHOS *vocata.*

Offenditur in Peruinis sylvis (quemadmodum a viris fidedignis accepi) Arbuscula orbicularibus ornata foliis, tenuibus, ac virore tinctis exsaturato, fructu verò malis insanis haud absimili, edulique, referto exili semine fusco, et contuso, nec ingrati saporis; quod urinam ajunt evocare, coactos in vesicca lapillos comminuere, ac propellere quaecumque urinae meatus occludunt; an verò haec Planta sit aliqua ex his, quas apud Novam Hispaniam descripsimus, aut depingendas curavimus, cùm illam nunquam viderim, judicare nequeo. Id facient Peruini, ad quorum manus Libri nostri pervenerint, ejusque rei nos poterunt admonere.

CAPUT LXXIV.

De ELOZAZATL, *et Zacamiahoatl.*

Quamquam non me lateat eam Herbam, quam Mexicani *Elozazatl*, seu *pabulum Eloto simile* vocant, et Plinius ex quorumdam recentiorum sententia *Canariam*, quoniam

Canes ea commansa fastidium deducant, apud Hispanos nasci; tamen quòd alteram speciem illius Mexici repererim, *Zacamiahoatl* vocatam, duxi utramque et depingendam, et describendam, ut et id non lateret rei herbariae amatorem.

CAPUT LXXV.

De CARATAQUA.

Frutex est ab una radice surculosa multos proferens ramos, ornatos Cupressi foliis, aut Pinus, cujus videtur species. Haec amara sunt, ac Pinum olent. Eadem arida, tusaque, et adjuncta *Cotzongari* infunduntur morbum gallicum patientibus, diarrhoeasve felici eventu. Nascitur in frigidis, ac montosis locis *Tacambari*.

CAPUT LXXVI.

De COCOTLACOTL *Epazoyucae*.

Frutex est surculosas radices proferens, et inde stipites teretes, purpureos, atque lignosos, ornatos foliis Origani, Clinopodiive, ad cujus fortassis species referenda venit, ac floribus in supremis caulibus purpurascentibus, pilosisque, et in pappos demum abeuntibus. Sapor est acris, Stoechadis, aut *Copalli* aemulus, velut et odor: corianum quadantenus resipit; urit guttur, calidaque, et sicca ordine tertio temperie constat, satietati medetur, inservit lotionibus,

atque ita mederi ajunt a daemone arreptis. Odora est, resinosaque. Firmat gingivas, ac dentes: devoranda autem drachmae unius pondere. Jus decocti ejus menstrua evocat, et venenatis febribus fert opem, ut in epidemico Novae Hispaniae morbo multis experimentis compertum est. Nascitur in collibus *Epazoyucae*, et *Tetzcatepeci*.

CAPUT LXXVII.

De CHICHILTICMEMEALLI *Zayulae*.

Herbula est multos caules proferens, teretes, lignososque, e tenuibus quoque radicibus prodeuntes, et in eis folia Lenticulae e rubro pallescentia: quam ingestam audio jumentorum esse deleteriam, et eorum corpora in tumorem protinus elevare. Lacte manat, unde fortassis ad Peplios, aut Tithymali genera posset referri. Nascitur *Zayulae*.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De DEXÓ.

Herba est radici innixa crassae, et longae, unde prodeunt caules ornati foliis Olivae, sed brevioribus, aliquantò latioribus, et minutim serratis, ac flore circa summum rubro, et racematim dependente. Radix frigida, et adstringenti natura constat. Eadem tusa, inspersaque cruribus fractis, brachiisve dicitur mederi. Sunt, qui addant ventri illitam propellendo per inferna flatui usui esse, et humoribus occupantibus intestina dejiciendis. Nascitur in montibus temperatis Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT II.

De ERÁHUENI *altera.*

Radici insistit contortae, glutinosae, et prolixae, unde profert teretes caules, et in eis folia Origani, flores verò longiusculos, cyaneos, et angustos. Olet corianum, sed acrius quidpiam sapit. Calida, et sicca ordine tertio constat natura, et subtilibus partibus; ita fit, ut jus decocti ejus infusum torminibus medeatur, urinam evocet, flatum discutiat, obstructiones aperiat, crassa corpora extenuet, aliosque hujusmodi usus permultos exhibeat. Nascitur in *Tancitari* temperatis locis. Est et alia *Eráhueni*, quam *Ayauhtonam* Mexicani vocant, quae ad idem genus pertinere videtur; de qua suo dictum est loco.

CAPUT III.

De ETZCUAUITZACUA, *seu Herba, quae videre facit phantasmata, quam alii Siranguam, seu radicem, et alii Cutzuri, seu Plantam extergentem vocant.*

Herbula est radicem agens longam, et fibratam, unde prodeunt caules tenues, lignosi, teretes, et volubiles, et in eis folia rutacea. Vis est sicca, et adstringens; Herba verò ipsa aut Polygala nostra, aut illi congener, et perquam similis. Nascitur *Apacincani* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT IV.

De GUANIMO *, seu Guanumo.*

Arbor est magna, foliis *Mizquitl*, sed juxta ramulorum fines decrescentibus, ita ut singuli ramuli, ornati foliolis permultis, unico folio longo, angustoque, et juxta finem gracilescenti sint similes. Fluit ex hac Arbore resina optima ea arte coacta stillare, qua illa *Penjami*, vulneribus conglutinandis aptissima. Nascitur *Tarequati* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT V.

De YLOCHPATLI.

Herba est radicibus insistens fibris similibus, unde prodeunt caules teretes, tenuesque, et in eis folia parva, Origani, minimè serrata, et flores, ut ajunt, nulli. Frigida videtur constare natura, et praeter naturam tumores apposita repellere. Provenit juxta ripas fluminum regionis *Panucensis.*

CAPUT VI.

De YCAMBICHAN.

Herbula est radicis lignosae, unde assurgunt caules tenues teretesque, et molli referti medulla, in eis verò folia Origani, et flores candentes. Frigida constat natura, et nonnihil salivosa, qua dolores lateris, et cujusvis corporis particulae

levare dicitur. Nascitur in calidis *Panucinis*, sed praecipuè in hortis sata, atque culta.

CAPUT VII.

De YHUÁTSITISÍMECUA, *seu barba Coyotl.*

Herbula est radicibus insistens tenuibus, capillatis, et longis, unde proferuntur cauliculi lignosi, tenuesque, ornati foliis longiusculis, et angustis, et floribus parvis, luteis, in vasculis oblongis contentis. Olet, sapitque corianum, et interpellatis febribus dicitur mederi. Provenit in planis, et temperatis locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT VIII.

De YUREHUEN.

Radice firmatur longa, fibrata, et tenui, unde profert teretes caules, et Persici folia, flores verò parvos, et pallentes. Calida constat natura, virus spirat, et lubrica est, medeturque dysentericis. Nascitur *Apacincani* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT IX.

De YHUÁNYTZÚTZ, *id est saniem trahente.*

Radici insistit fibratae, unde prodeunt caules rotundi, ac molli referti medulla, ornati foliis Ocymi, serratis, et paulò longioribus, ac cyaneis floribus, in oblongis vasculis

contentis. Amara est radix, lubrica, calidaeque, et humidae temperiei. Medentur ulceribus folia redacta in farinam, inspersaque, etiam cancerosis, unde nomen. Provenit in planis, temperatisque locis juxta fluminum ripas regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT X.

De YAMANICXIHUITL.

Herbula est nascens juxta ripas fluminum regionis *Panucensis*, radici insistens tenui, et fibratae, unde profert caules teretes, et lignosos, et circa summum folia cinerei coloris, mollia, et cordis figura, ac flosculos albos, et fructum nigrum, cerasi forma, sed minimè edulem, et longè minorem. Frigida, siccaque, et nonnihil adstringenti constat natura; ulcera extergit, ac cicatrice leniter obducit.

CAPUT XI.

De YOLMÁMA.

Herbula est radicibus insistens tenuibus, unde proferuntur exiles, et lignosi caules, et in eis folia Ciceris, ac flores subvirides, et parvi. Sapore caret, et salivosa constat natura, et tamen folia tusa, et ex aqua bibita ajunt paralysi mederi, sed admisto pulvere cochleae, cujus imaginem pariter cum Herba exhibemus, nec desunt, qui addendum putent Canum, et Psittacorum stercus. Nascitur in planis,

humidisque locis Provinciae *Panucensis* juxta fluminum ripas.

CAPUT XII.

De YZTACXIHUITL *Panucensi.*

Herbula est radici insistens longae, tenui, et fibratae, unde prodeunt caules fragiles, leves, et rotundi, ac in eis Olivae folia, ac cyanei flores. Amara est, et asthmati dicitur mederi aqua, ubi tusa aliquandiu maduerint folia.

CAPUT XIII.

De YAUHXIHUITL.

Arbuscula est radicibus innixa surculosis, unde funduntur caules rotundi, et lenta referti medulla, et in eis folia Mali Medicae, sed magis acuminata, juxta medium protuberantiora; flores verò coccinei, et in spicas compositi. Cortex radicis frigidus est, et lubricus; ideoque pectoris asperitatem curat, et febribus medetur. Provenit verò apud *Panucenses.*

CAPUT XIV.

De YCHCAHACHQUAHUITL.

Arbuscula est fibratae innixa radici, unde profert teretes caules, ornatos foliis Olivae, sed venis nonnullis secundùm longitudinem procedentibus, ceteris verò transversim, ac luteis floribus. Vis est frigida, et adstringens, ideoque fo-

lia permista *Citlalxihuitl* oculis inflammatis dicuntur mederi. Nascitur in calidis *Panucensibus* juxta humida, et aquosa loca.

CAPUT XV.

De YLOTCAPATLI.

Herba est radice firmata surculo simili, unde prodeunt caules teretes, et in eis fert folia Mali Medicae, sed paulò minora, florem verò cyaneum, et modicum, ac fructum parvis glandibus similem, semine refertum albo, atque exili. Amara est, calidaque, et sicca ordine tertio; ideoque tusa, et applicata discutit praeter naturam tumores. Nascitur in montibus *Panucensibus.*

CAPUT XVI.

De YZTACPATLI Atotonilci.

Herba est radicibus insistens surculosis, e quibus profert caules sesquidodrantem longos, teretes, lignosos, subalbidosque, et in eis folia Lini, argentea, longiuscula, et angusta, et flores, ut ferunt, modicos, et candentes. Calida est, et sicca ordine ferè quarto, odoraque. Radix semunciae pondere teritur, et redigitur in sphaerulam, mox resolvitur ex vino, et bis, terve percolatur, ac bibitur succus, qni corpus citra ullam noxam, aut laborem affatim vacuat. Nascitur apud *Atotonilcenses* aridis, planisque, ac frigidis locis, ubi

ea Franciscus quidam Zimbron, a quo etiam habet nomen, passim utitur reputans mirabile pharmacum, et reliquorum, quae apud Indos inventa adhuc sunt, praestantissimum.

CAPUT XVII.

De YZTACZACACILIN.

Herba est Raphani firmata radice, ex albo in rubeum colorem tendente, ex qua prodeunt folia longa, et angusta, et flores, ut ferunt, nulli. Radix est frigida, glutinosaque, sed lancinans more eorum medicamentorum, quae vocant *Quequexquic*. Ajunt eamdem renum dolori auxiliari, totius corpori lassitudini, necnon et enixarum torminibus et illitam, et devoratam. Nascitur in montibus, humidisque, et umbrosis locis agri *Atotonilcensis*.

CAPUT XVIII.

De YZTACPATLI *Hoexotzincensi.*

Herba est surculosis innixa radicibus, et intrinsecùs candentibus, unde prodeunt caules teretes, hirtique, et in eis folia cordis figura, nonnihil rubescentia, ac flores purpurei, et congesti. Frigida est, lubricaque, et linguam nonnihil gustata lancinans; cujusmodi medicamenta solent Indi vocare *Quequexquic*. Radix tusa, ac duarum drachmarum pondere devorata conferre dicitur his, qui a morbis con-

valescunt. Provenit imbrium tempore circa humida loca regionis *Hoexotzincensis.*

CAPUT XIX.

De YZTAOLOLTZIN *Chulullensi.*

Herba est radici insistens simili Scammoneae, ad cujus fortassis species pertinet, ac pariter lacte mananti, unde caules eduntur volubiles, et in eis folia praedictae Herbae haud dissimilia, sed auriculis magis falcatis, flores verò oblongi, ex albo rubescentes, et in vasculis quibusdam contenti. Subdulcem radix videtur praeferre saporem, et tamen semunciae pondere devoratam ajunt corpus vacuare. Provenit circa loca arentia regionum frigidarum, qualis est *Chulullensis.*

CAPUT XX.

De YZTACPATLI *Chulullensi.*

Radix est crassa, et longa, caules quatuor dodrantes prolixi, folia Menthae, et flores candidi. Radix est amara, calidaque, et sicca ordine ferè tertio. Eadem resoluta ex aqua tumores praeter naturam discutit, et dolorem oculorum sedat. Nascitur in humidis locis Provinciae *Chulullensis.*

CAPUT XXI.

De YZTACPATLI *Chulullensi altera.*

Herba est *Tezompatli* similis forma, temperie, et viribus, sed radice aliquantò prolixiore, et teneriore; quo fit, ut meritò quisquam judicare possit, aut eamdem esse illi, loci tantùm ratione distantem, aut saltem congenerem: est enim dulcis, atque subamara, calida, et sicca primo ordine temperie, non sine quadam adstrictione; ac bubones jam hiantes extergit, et cicatrice obducit. Provenit in locis humidis regionis *Chulullensis.*

CAPUT XXII.

De ICELACOCOTLI *Chulullensi.*

Herba est radici insistens longae, crassaeque, et thus olenti, ex qua profert caules cubitalis altitudinis, multis concavos alis, et in eis folia Foeniculi, crassiora tamen, et latiora, jucundè olentia, et in cacumine umbellas, in quibus semen copiosum, candidum, Sphondylio simile, rotundum, angulosum, acre, resinaceum, quod in mandendo linguam exurit: ex qua descriptione liquet verum esse Rosmarinum secundum, descriptum quondam a Dioscoride, neque ab aliquo ante nos vera imagine expressum, nam illa Mathioli cum descriptione Dioscoridis non videtur omnino

convenire. Vires sunt eae, quas Libanotidi cachryn ferenti tribuit Dioscorides; quanquam *Chulullenses*, et *Tlaxcaltecaee*, apud quos nascitur, dicant jus decocti ejus bibitum exanthematis, et punctis, quae ex sanguine suscitatas febres comitari solent, mederi. Nascitur in humidis locis juxta montium fauces.

CAPUT XXIII.

De YXMOTZALXIHUITL *Ychcateupae.*

Radici insistit surculosae, unde prodeunt caules tenues, teretesque, et duos dodrantes longi, et in eis folia Ocymi, aut Origani; flores verò exiles, coacervati, coccineique. Radix est acris, lancinans, et nonnihil lubrica, calidaque, et sicca ordine quarto natura, et crassarum partium. Eadem duarum drachmarum pondere devorata satietati, dysenterisque dicitur mederi. Provenit temperato caelo.

CAPUT XXIV.

De YTZTICPATLI *Tizayucae.*

Radicibus innititur Oenanthi similibus, sed majoribus, unde profert caules dodrante minores, tenues, hirsutos, teretesque, perque longa intervalla folia Teucrii bina, aut terna, sed crenata per ambitum raris intervallis, aspera, multis interveniis distincta, viridique, et exsaturato tincta co-

lore, flores verò *Xoxocoyolin.* Radix dulcis est, et nonnihil glutinosa. Eadem tusa, resoluta ex aqua, et unius drachmae pondere matutino epota dysentericis medetur. Provenit in collibus arentibus *Tizayucae.*

CAPUT XXV.

De YEQUAHUITL *Zayulae.*

Arbor est magna humidis in locis proveniens, radices altè agens, ac latè expandens ramos: folia sunt obrotunda, lataque, hirsuta, et aspera, gravisque odoris, unde nomen. Quibusque partibus ejus tusis, atque devoratis duarum drachmarnm pondere e liquore quopiam convenienti, aut ad balneum aptatis ajunt cachecticos liberari, et pristinae sanitati restitui. Nonnihil amaro sapore constat, et calefacienti facultate.

CAPUL XXVI.

De MINTZITZIN.

Frutex est foliis Persici, stipitibus fulvis, quaternos cubitos prolixis, atque albis floribus. Amara est, odora gustu, nonnihil acris, calidaque, et sicca ordine tertio. Folia tusa, atque illita ventri intestina a vitiatis emundant humoribus. Nascitur in montibus temperatis *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXVII.

De MAYAPECUA.

Nascitur in calidis *Mechoacanensibus* ; folia sunt Origani, sed orbiculatiora , flores verò multi , compositi in corymbos, candidulique , et longiusculis vasibus contenti. Sapore insigni caret , sicca constat natura , et nonnihil adstringenti ; et tamen ventri enixarum applicata dicitur earum torminibus mederi.

CAPUT XXVIII.

De MICHCUITLAXCOLLI , *seu piscium intestinis.*

Nomen invenit Herbula haec a radicis forma , unde profert caules tenues , et in eis folia longiuscula , et angusta, et in summo flosculos candentes , exilesque. Radix , quae calida temperie constat, tusa , et applicata medetur ulceribus mira brevitate , etiam cancerosis , et alioqui insanabilibus; quamobrem maximi habetur ab incolis : folia verò tusa , et potata medentur ictericis , et suppresam urinam evocant: radix quoque oculorum carnem excrescentem extergit , si pulvis ejus inspergatur : ajunt etiam infusam ita corpus universum purgare , ut homines alioqui pigros , segnesque efficiat impigros , et paratos ad quemvis laborem sustinendum. Nascitur apud *Panucenses*.

CAPUT XXIX.

De MECATLYPATLI, *seu Nanahuapatli Panucenſi.*

Radicibus inſiſtit ſurculoſis, unde profert caules, et in eis folia Ocymi, ſed longè majora, et magis acuminata, et florem, et fructum, ut ferunt, nullum. Sapor eſt acris; ſubſtantia ſubtilis, calidaque, et ſicca quarto ordine temperies, ac jucundus odor. Medetur morbo gallico, ſi jus decocti ejus eodem modo, et regimine, quo Zarzaparrilla, aut Guajacum ſumi ſolet, bibatur; quin etiam folia tuſa, devorataque ſcabiem curant; radix verò tuſa, et inſperſa equorum ulceribus, atque vocatis ſpundiis medetur. Naſcitur *Panuci.*

CAPUT XXX.

De MINIHUATZIN *Hoexotzincenſi.*

Radicibus innititur Oenanthae ſimilibus, unde prodeunt caules teretes, ſubrecti, hirtique, et in eis folia longiuſcula, et anguſta, ac flores toto paene caulium procurſu lutei, ac parvi. Radix eſt dulcis, et nonnihil glutinoſa: quamobrem ſeſquidrachmae pondere tuſa, atque ex aqua devorata dicitur dyſentericis mederi, ſi viginti Mayzii grana ſimul trita aſſumantur, punctis, et morbillis vocatis opem ferre, et ſitim exſtinguere. Naſcitur arentibus *Hoexotzinci* locis imbrium tempore.

CAPUT XXXI.

De MATLALEHOAC.

Frutex est hominis paene aequans altitudinem, foliis orbicularibus, infernè subalbidis, ac venis secundùm longitudinem discurrentibus, Populi albae haud dissimilibus, ac fructu orbiculari, cicere majore, coloris cinerei, hirsuti, ac ternis rubescentibus granulis referto. Virus olet, frigida, sicca, et adstringenti natura constat; atque ita dysentericis, et quemvis alium fluxum sanguinis patientibus mederi solet. Provenit in humidis locis regionis *Hoexotzincensis.*

CAPUT XXXII.

De MILAQUACTZIN *Chulullensi.*

Radicibus insistit surculosis, unde profert caules duos dodrantes, aut ampliùs longos, teretes, squallidosque, et aliquantulùm hirsutos, et in eis folia Amygdali, sed minora, subalbidaque, et in summis caulibus flores luteos, comantes, oblongis vasculis contentos. Radix est amara, calidaque, et sicca ordine ferè tertio. Jus decocti ejus epotatum dicitur conferre his, qui aliquam aegritudinem nuper evasere, aut perfracta habent ossa, roboratis particulis, atque excrementis per urinam, ac secessum evocatis. Provenit juxta loca humentia regionis *Tlaxcaltecensis.*

CAPUT XXXIII.

De MATLALXOCHITL *Chulullensi.*

Species est Satyrionis, reliquis congeneribus Plantis forma, et viribus similis: verùm floribus appendentibus brevibus quibusdam ramulis, qui caulem utrinque circumstant. Provenit juxta humentia loca regionis *Chulullensis.*

CAPUT XXXIV.

De MATLALITZTIC *Tlaxcaltecensi.*

Herba est innixa surculosis radicibus, unde prodeunt caules teretes, duas spithamas longi, tenuesque, et in eis folia Pseudoloti, aut Mali cotonei, et flores, ut ferunt, candidi. Radix est cyanea, unde nomen, nullo insigni sapore, virus olens, frigidaque, et glutinosa natura. Ejusdem decocti jus bibitum dicitur mederi punctis, atque exanthematis. Montosis provenit locis regionis *Tlaxcaltecensis*, ac toto anno viret juxta excelsas Arbores.

CAPUT XXXV.

De Herba malum GRANATELLUM *vocatum ab Hispanis ferente.*

Nasci ferunt apud Peruinos Herbam quamdam volubilem, hederaceamque, florem ferentem similem rosae albae, sed in cujus foliis instrumentorum Crucis Christi vestigia,

et imagines videri queant, ac fructum malo punico forma, colore, et magnitudine similem, unde sumsit apud Hispanos nomen; sed corona nulla, et cui jam arescenti, atque agitatae insonet semen, quod pyrorum semini non est absimile, et punctis pulcherrimis distinguitur, intus candet, ac saporem praefert nullum. Fructus hic, cùm primùm maturescit, liquore oppletur aliquantulùm acido, qui ruptus ovi instar sorberi solet ab Indis, atque Hispanis incolis non injucundè; gratus enim est gustui, alvum emollit, et nullum gravitatis infert sensum.

CAPUT XXXVI.

De MAZAPATLI.

Herba est duos dodrantes plùs, minùs longa, radicibus insistens surculosis, unde profert caules tenues, teretesque, et in eis folia subalbida, Olivae proxima, sed angustiora, ac flores, ut ferunt, albos. Radix est acris, odorata gustu, resinosa, calidaque, et sicca ordine quarto, urensque guttur. Eadem tusa, et resoluta ex aqua trium drachmarum pondere pituitam, ac bilim purgat, cachexique, et hydropi confert. Provenit in calidis *Totomihuacani* imbrium tempore circa montium fauces, et loca humentia.

CAPUT XXXVII.

De MACUILYMA, *seu Herba quinquefolia Zayulae.*

Frutex est surculosis innixus radicibus, unde proferuntur stipites, et in eis folia quina, crenata per ambitum, unde nomen, floresque parvi, ac fulvi. Nihil adhuc de hac Planta, quod Medicinae inserviat, accepi: depingendam tamen curavi vel ob formae praestantiam, vel quòd odore, et sapore Anethi aemula sit, ejusque vires sortiri videatur. Nascitur *Zayulae.*

CAPUT XXXVIII.

De MATLALXOCHITL *Zayulae.*

Herba est tenues, et quadratos proferens caules, et in eis folia vocatae *Partesanae* similia, ac flores cyaneos, vocatae *Alabardae* persimiles, utrinque ab exortu foliorum prodeuntes (non enim gravor barbaris dictionibus uti perspicuitatis gratia, ubi desunt res notae Latinis, quibus Herbarum partes conferri possint, et exquisitè significari). Odora Planta est, acris, et Salviam resipiens, cujus existimo viribus magna ex parte pollere; nihil enim de ea, quod ad usus medicos spectet, accepi, et tamen ob formam, et suavem odorem non duxi contemnendam.

CAPUT XXXIX.

De MAZANENEPILLI *Zayulae.*

Radicibus insistit fibris similibus, unde profert caules fulvos, et in eis folia *Tzacutli*, aut Plantaginis, quam vocant lanceolatam, ac coccineos flores; unde oriuntur vascula oblonga, continentia semen. Frigidis, humidisque viribus constat, ac decoctorum foliorum jus matutino, quoties expedit, devoratum hepaticis dicitur conferre. Toto anno provenit juxta frigida, et saxosa loca.

CAPUT XL.

De NEXPAYAN *Hoexotzincensi.*

Arbuscula est hominis altitudine, foliis Salviae minutim serratis, infernè candescentibus, et hirsutis, odorisque, fructu, floreve rotundo, parvo, molli, lento, ac Gossypio simili. Stoechada quadantenus olet, et acrem saporem, et subamarum praefert: sed vis est ordine tertio calefaciens, atque exsiccans. Folia pugilli mensura cum vicenis Mayzii granis tusa, atque ex aqua devorata dicuntur pituitam per inferna egregiè evacuare. Provenit *Hoexotzinci* juxta montium fauces, totoque anno virescit.

CAPUT XLI.

De OLOPIO.

Arbor est magna, Mali Medicae foliis, sed majoribus, ramosaque. Cortex stipitum redactus in farinam, et inspersus medetur ulceribus. Nascitur in montibus calidis *Panuci.*

CAPUT XLII.

De OLONPATLI.

Herba est in satis *Panucensibus* culta nascens, Olivae foliis, flore candenti, ac semine frumenti forma; quod tusum centum granorum mensura, et ex aqua devoratum medetur epilepticis. Est autem subdulce cum quadam amaritudine.

CAPUT XLIII.

De OCUILTLACOTL *Tizayucae.*

Radicibus insistit fibratis, unde profert caules teretes, exiles, atque e nigro in cyaneum tendentes colorem, et in eis folia Lini, minora tamen, serrataque, et e contrario per modica intervalla utrinque disposita, flores verò juxta summos caules exiles, spicatos, cyaneoque micantes colore. Vis est calida, atque sicca ordine tertio, tenuesque partes: sapor amarus, nonnihil acris. Interimit, pellitque ventris tineas, unde nomen; discutit flatum, ac frigus pellit. Provenit *Tizayucae.*

CAPUT XLIV.

De OTLAXOCOYOLLI *Zayulae.*

Herba est radicibus insistens arundineis, unde profert caules geniculatos, et in eis folia Plantaginis, multis nerveis discursibus distincta, sed longè majora, ac florem in summa parte caulis oblongum, et fulvum. Acido sapore constat, et difficultati respirationis dicitur mederi tusa, resoluta ex aqua, atque epotata; ita enim ferunt pituitam

incindi, atque propelli. Provenit toto anno, et clementi caelo naſci gaudet.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER VIGESIMUS TERTIUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De PAPANTAPAZOLLI.

Species est Filicis, eademque constat natura. Nascitur aquosis, et calidis locis *Panucensis* regionis.

CAPUT II.

De Herba illa, quam vocant DE LA PLAYA.

